Frydrychowicz Dominici: Turres metropolitanae Cracovienses divinarum benedictionum abundantia etc. etc. exornatae, ditatae etc. nec non theologicis tractatibus honoratae. Crac. 1692.

TVRRES
METROPOLITANÆ CRACOVIENSES
Diuinarum Benedictionum Abundantiâ
Cælestium Sanctorum Patronorum Custodiâ
SERENISSIMORVM REGVM BENEVOLENTIA
Doctissimorum Virorum Præstantiâ
Plurimorum erga Rempublicam Meritorum Gloriâ
Nobilissimorum Ciuium Frequentiâ

EXORNATÆ, DITATÆ, CIRCVMVALATÆ
NEC NON
Inter exorientia Nati Saluatoris
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
Cælestia Xenia.
THEOLOGICIS
D. THOMÆ AQVINATIS.
Quinti Ecclesiæ Doctoris
SVPERINSCRIPTIS TRACTATIBVS
Amplissimo & Nobilissimo M. Andreas Cybulski flor. s.

SENATVI METROPOLITANO
Debitæ Venerationis & Gratulationis ergo
DATIS, DONATIS, DEDICATIS
Publicâ Mediante Disputatione.

Per P. F. DOMINICVM FRYDRYCHOWICZ
S. Th. Doctorem, ac Generalis Studij Prouinciæ Poloniæ Conuentûs Cracouiensis Regentem Ordinis Prædicatorum.

AD GLORIOSAM PERENNITATEM
HONORATÆ, MVNERATÆ, CELEBRATÆ
Anno Honoratæ per VERBI DIVINI assumptionem
Naturæ Humanæ. M. DC. XC II. Kalendis Ianuarij.

CRACOVIÆ.
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni Episcopi
Crac. Ducis Seueriæ, Necnon Scholarum Nouod. Typogr.


VIRT
ECCLESIÆ
PATRIÆ
Iob. Ste. fecit

CLARISSIMIS, NOBILISSIMIS SPECTABILIBVS AMPLISSIMISQVE VIRIS PROCONSVLI CONSVLIBVS

Totique Inclyto Senatui Vrbis Cracouiæ Regni Poloniæ Metropolis

D. Dominis ac Patronis Colendissimis

Diuinam Benedictionem & Salutē.

FELIX faustumq; noui Anni exordium, Amplissimo Vestro Senatui dum gratulor ex animo PATRES CONSCRIPTI, in Metropolitanis Turribus vestris, Aquinaticâ celte, iuxta duodenarium laterum numerum, duodecim exaro Tractatus Theologicos, exorando, vt pro totius anni singulis mensibus, à Supremo Theologiæ Authore DEO, omnia singulis & singula omnibus cælestia proueniant xenia. Et certe prima Turrium origo, per instructos à Protoparente posteros est excitata ad scientiarum inscriptionem, promulgationem, & conseruationem: Æream hi, Latericeam alij, Architectante Setho ædificauêre Turres, quarum singulæ omnium Scientiarum insculptæ characteribus, Ærea contra aquarum diluuium, Latericea contra acrimoniam igniū, ad scientias perennandas sunt elaboratæ. Hâc eâdem felicitate, & Vestræ Metropolitanæ glorientur Turres, imò abundantiori, intra quarum latera, maximorum DEI beneficiorum thesauri reconduntur. Quippe intra Vestras Turres pretiosæ Sanctorum Patronorū SS. STANISLAI, VENCESLAI, FLORIANI, HYACINTHI, CANTII, MICHAELIS, aliorumq; Virorum (quorum memoria in benedictione est) honorificentissimè quiescunt Lipsanæ tàm numerosæ, vt externorum hospitum iudicio, CRACOVIA ALTERA ROMA nuncupetur, AD SANCTITATEM. Intra Vestras Turres, Coronam, Sceptrum, Pomum, ac vniuersa Regum insignia, Totiusq; Reipublicæ munimenta & thesauros, Fundator ac Pater Vester Monarcha CRACVS conclusit AD SECVRITATEM. Fidei Doctores ac Apostolos Septemtrionis Protocatholicus REX MIECISLAVS intra has adduxit primò primus AD EVANGELII VERITATEM. Plùs Sanctitate quàm Sceptri Maiestate insignis BOLESLAVS PVDICVS, intra has, præeminens Iuris Teutonici erexit Tribunal, AD ÆQVITATEM. Bellis fortissimus & triumphis candidissimus LESCO NIGER, intra easdem, gloriosas deposuit aureolas, adscriptis iure perpetuo intra Equestris Ordinis Album Cracouiensibus AD NOBILITATEM. Gloriosissimus IAGIELLO Totius Reipublicæ Parnassum, non alibi, ast intra Metropolitanas Turres fundandum iudicauit & fundauit, Vt hæ ipsæ Metoposcopum ducerent in alios, quæ insignium Virorum præiuêre & abundauêre adoreis AD MAIESTATEM. Magna hæc Veræ Virtutis encomia sunt, quæ totum Regale Orbis Poloni adimplent bellorum ac triumphorum amphyteatrum: non tamen desunt longè maiora, imò adsunt maxima, quæ Totius Ecclesiæ calculo probata, laudem, honorem, ac Venerationem immortalem promeruêre. Enimuerò in Vno Tuo Patricio STANISLAO HOSIO Verticem gloriæ attigisti ô Cracouia! in ipso Eminentissimo purpureum Senatûs Apostolici promeruisti paludamentum: in ipso Athleta fidei supremum Sacri Concilij Tridentini Præsidem induisti: in ipso Gentibus & Regnis (quadragies reimpressis diuersarum Nationum idiomate Cathechismi ab eo compositi exemplaribus) fidem Catholicam prædicasti, roborasti, dilatasti: in ipso Senatoriam Togam, Varmiensemq; Episcopatum in gloriam possedisti: Et quòd maius est, ni HOSIVS ELECTVS stetisset pro Ecclesia, Hostis Lutherus Ecclesiam in Polonia deuastasset. Nec parem quoq; aliqua Metropolium consecuta est Munificentiæ laudem, cùm non in ipsarum sed in Vestrarum Turrium reclinatorio, sedem fixerit ABVNDANTIA. Hanc sanè amplissimam ipse maximus Christianorum Imperator, Augustissimus CAROLVS, Serenissimi, CASIMIRVS Polonorum: LVDOVICVS Vngarorum: SIGISMVNDVS Danorum: PETRVS Cypriorum, Reges; Excellentissimi, OTTO Batauorum, ZIEMOVITVS Masouiorum, BOLESLAVS Suidnicensium, VLADISLAVS Oppoliensium, BOGVSLAVS Stecinensium Duces: Supremiq; Poloniarum Proceres stupuêre, approbauêre, honora-

honorauêre; *His omnibus Cracouiæ congregatis* VENRICVS *Proconsul Cracouiensis*, REGIORVM CONSILIORVM MODERATOR *in domum suam inuitatis, splendidissimum conuiuium permagnifico apparatu dedit, & ditissima munera omnibus distribuit; quâ necdum in Ciue priuato visâ per Orbem liberalitate, & magnificentiæ Polonæ auxit splendorem, & in oblatis donis. aut Alexandri Græcorum, aut Augusti Romanorum æmulatus est honorem, idq; beatiore animo, Iste, Summis Principibus distribuendo, ast Summi Principes inferioribus conferendo. Iam verò quis sufficiat Tuos ô Cracouia enumerare Ciues Metropolitanos ac Turrigeros Senatores, qui ob præclara erga Rempublicam merita, Nobilissimarum Familiarum ac Senatoriarum Prosapiarum extitêre Principes? quis Cataphractos ad clauam milites in Swarczijs? quis prudentissimos Hispanicam Augusti expedientes Legationē Nuncios in* Fogieluederijs*? quis edisserat primos in hoc Regno Iurisprudentiæ ac Medicinæ Doctores? quis dignè celebret omnium scientiarum de medio Vestri instructissimos Professores? Quos omnes iure perpetuo, Vosq; Præsentes ac futuros ob eximiam scientiarum ac meritorum amplitudinem, Serenissimus Vniuersæ Reipublicæ* SENATVS *in suos asciuit Confratres, & inter Serenissimorum Regum connumerauit Conelectores. Hinc & ipsimet Serenissimi Reges, immediatâ post Coronationem Die, sacris Regalibus induti, Coronâ & Sceptro insigniti, toto comitante Senatu Serenissimo, Vestram Curiam accedere, & Vos, inter omnes fœderatas Ciuitates, in Primos Fideles adscribere & connumerare consueuerunt. Emerita hæc sunt, non à calamo excogitata, sed progenita à Virtute, descripta in fastis, profecta à priscis sæculis, Vestra Veræ laudis elogia, & hucusq; iure hæreditario possessa immobiliter. Tanto igitur splendori Vestro, occurrit Aquinaticus* SOL, *splendoribus vt addat splendores, repercussos à Vestrarum Turrium luce radios, duplicato fœnore recepturus. Et profectò ita liberaliter duplicatos recipit, quia hæc, quæ Angelico ore docuit, dum Vobis Amplissimo Auditorio, Totiq; fideli Populo, ex ArchyPresbiterali Exedra Mariana à Beati* IVONIS *temporibus Diuo* HYACINTHO *eiusq; Filijs collata, iamq; Prædicatorū Ordinis quinq; sæculorum irrigata sudoribus, ossibusq; nostris adnata, dum (inquam) Vobis per suos discipulos salutis documenta denuntiat, Duo Talenta à Vobis se percepisse gaudet:* Primum; *Charitatis in omni necessitate misericorditer subleuantis;* Alterum. *Manutenentiæ penes eandem Exedram, nos stabiliter conseruantis. His cum duobus talentis maximus, intra Vestrarum Turrium habitacula, iam quinto decurrente sæculo domesticè commorantes vel hoc quoq; titulo gloriamur, quòd dum Vos* LESCONIS NIGRI *in Prædicatoria Sanctissimæ* TRIADIS *Ecclesia Beatam spem expectantis, suprema Nobilitatis ac Libertatis beneficia per eum Vobis collata recollitis, eius reconditi ad Maximæ Aræ latûs septemtrionale pretiosi busti Custodes, nobili ac generoso affectu cumulare nostis: gratitudinem proinde recompensare procurantes, debitæ regratitudinis in Turribus Vestris imprimimus Theologica Syntagmata. Durabunt illæ ad perennitatem in Turribus Vestris, quas Inuictissimus Serenissimi* IOANNIS III. *Epaminundæ bellicosior, Enchippi Argiuorum Regis felicior, triumphis Claudij Imperatoris Romanorum* GLORIOSIOR CLYPEVS IMMORTALI GLORIÆ ORTHODOXÆ NATVS, *defendit, protegit, ac à ruina & internecione præseruat. Ergò legat hæc ex Turribus Vestris eruditus Orbis, cui in Vobis tot Doctissimi Professores Virtutum exhibentur, quot Turrigeri Senatores numerantur. Alterum huius sæculi Sapientum (Diuo attestante Paulo) euacuabitur Scientia, ast Vestra in Turribus Vestris exarata, Fidei Catholicæ erga* DEVM, *Pietatis erga Ecclesiam, Fidelitatis erga Rempublicam, incontaminata perennabit Theologia. Ita exorat, ita exoptat, ita indelebiliter subscribit.*

AMPLISSIMI SENATVS VESTRI,

Cliens addictissimus & Exorator,

Fr. DOMINICVS. *m. pp.*

IN NOMINE DOMINI.

SVPREMA SACRÆ THEOLOGIÆ NOBILITAS.

THEOLOGIA creata Viatorum Scholastica, verè est Sacra Doctrina. *Ratio.* Quia Theologia nostra originatur ex præexistenti Sacræ Fidei cognitione; iam autem Omnis doctrina omnisq; disciplina ex præexistenti fit cognitione. *Tum quia* SACRA DOCTRINA siue supponat pro Doctrina reuelata *in se*: (qualis est Fides) siue supponat pro Doctrina reuelata *in suis principijs*: (qualis est nostra Theologia) abstrahendo à ratione *crediti & sciti*: adhuc tamen Sacra Doctrina prout sic indifferenter accipitur, quià potest *Disiunctiuè* supponere tam pro Fide, quàm pro Theologia, ideoque sacro titulo nostram potest coronare Theologiam quæ est sermo de Deo sacratissimo.

II. NECESSITAS Theologiæ est pro his: 2. & ex his quæ per se 3. & quæ per accidens spectant ad Fidem. *Ratio primi* Quia Fides Articulorum iuxta D. August: à Theologia *Gignitur* generatione dispositiuâ non effectiuâ; iam autem Fides non habetur genita sine euidentia credibilitatis mysteriorum Fidei; quam euidentiam sola facit Theologia. Secundò, Fides à Theologia *Nutritur*: nam Doctores Sancti Sanctæ Ecclesiæ sunt vbera quibus lactatur, iuxta illud D. Pauli 1. Corinth. 3. *Lac Vobis potum dedi.* Tertiò, Fides à Theologia *Defenditur*: *intbior*: quia per Theologiã Cõtradicentes impugnãtur, cõuincuntur, & damnãtur. Quartò, Fides à Theologia *Roboratur*, ex vno articulo arguendo ad alterius confirmationem. Sic D. Paulus in Corinthijs, ex præterita resurrectione Christi, roborauit futuram Vniuersalem resurrectionem 1. Cor. 15. *Ratio 2di.* Quia suppositâ Fide articulorum necessariò sequitur scibilitas plurium Conclusionum ex articulis deducibilium per illationes necessarias. vg. *Christus est Deus & Homo*, ex hoc articulo infertur. Ergo *Christus est Viuens vitâ Increatâ & viuens vitâ creatâ.* *Ratio 3tij.* Quia istæ Propositiones: *Deus est.* Deus est Vnus: Prima Causa: Vniuersalis Prouisor: & similes: licet *per se* attinganrur à Metaphysica, vt pote habentes cum nostro intellectu proportionem; *per accidens* attinguntur à Fide, inquantum ex creditis articulis inferuntur.

III. QVALITAS essentialis Theologiæ Viatorum est, quòd sit Habitus substantialiter scientificus: 2. sicut & Beatorum. 3. per se non obscurus. 4. scientiæ Dei & Beatorum subalternatus. 5. quoad entitatem supernaturalis. 6. & tamen per se acquisitus. 7. idem numero remanens in Patria, qui hic acquiritur in via. 8. specie distinctus ab Hæreticorum Theologia. *Ratio primi.* Quia Theologia est Virtus intellectualis, quæ versatur circa Conclusiones. Ergo solum *Vel* est habitus sapientiæ: quia iudicat de omnibus rebus per altissimam Causam s. Deum, & per altissimas rationes s. articulos Fidei, prout docetur 1. Cor. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia.* *Vel* est habitus scientiæ, quia attingit infallibiliter Verum per discursum. *Tum quia* Theologia nostra est cognitio certa circa res Diuinas cum maiori certitudine & firmitate discurrens, quàm vlla scientia naturalis circa suum discurrat obiectum. *Tum quia* Theologia nostra est Euidens tam *Euidentiâ virtuali* sita in certitudine omnes alias scientias superante, quia sola suas Conclusiones reducit ad principia reuelata omnem naturalem certitudinem excedentia; quàm *Euidentiâ Radicali*, quia postulat coniungi cum Lumine gloriæ, & scientia Beatorum cui subalternatur

Ratio 2di. Quia Beati, si *intra Verbum* cognoscunt, tunc more Diuino, in ipsomet Deo priùs cognito, vident omnia mysteria: attamen verè rem per suam Causam euidenter ex parte obiecti cognoscunt: si autem *extra Ver-*

bum

bum attingunt aliquod obiectum, tunc per verum discursum inferunt suas Conclusiones. *Ratio 3tij.* Quia Theologia nostra procedit *per se,* ex his quæ Lumine gloriæ videntur in Patria: ast ex conditione imperfecta Viatorum & per accidens procedit ex præmissis de fide: ex quibus Theologia recipit *obscuritatem* tanquam prædicatum accidentale. *Ratio 4ti* Quia scientia Beatorum & Nostra, habent Deum pro Obiecto essentiali: Beata quidem Deum prout est *in se,* immediatè reuelatum reuelatione visionis; Nostra verò Deum, quatenus ex ipso reuelato siuè clarè siuè obscurè deducit Conclusiones. Et per hoc *esse reuelatum,* explicatur conditio extranea seu differentia Accidentalis, in Theologia nostra, quam addit supra obiectum (s. *Deum vt est in se*) scientiæ Beatæ subalternantis. *Ratio 5ti* Quia Theologia (loquendo de supernaturali quoad entitatem, quod scilicet solùm à natura vt eleuata causari potest, qualis est vg. actus Charitatis) habet obiectum supernaturale intrinsecè, ex parte rationis *Qua & sub Qua,* attactum mediatè s. medio discursu; ad differentiam fidei, cuius obiectum ex vtraque ratione est intrinsecè supernaturale attactum immediatè, non quidditatiuè (quod fit in Patria) sed connotatiuè, & medijs speciebus creatis Deum pro hoc statu repræsentantibus, quibus vtitur Fides. *Tum quia* tam Certitudo habitûs Theologici est supernaturalis, quia desumitur ex lumine supernaturali scientiæ Diuinæ: quàm Euidentia radicalis, est supernaturalis, quia Theologia ab intrinseco exigit, & ex natura sua habere euidentiam & claritatem à scientia Beatorum supernaturali; iam autem Nil naturale pro sui perfectione potest exigere formam supernaturalem. *Ratio 6ti.* Quia ex parte nostri dantur Vires supernaturales quæ possunt habitum Theologiæ causare: & tales Vires, est habitus Fidei supernaturalis, seminarium Theologiæ: sicut lumen naturale principiorum, est seminarium scientiarum naturalium. Quocirca prima Demonstratio quâ primò generatur Theologia solùm est à Principio per se infuso, s. à Fide: vnde quando intellectus ex vtraque præmissa de Fide vult inferre assensum Conclusionis Theologicæ, tunc Deus infundit illi auxilium supernaturale transiens, quod ad primùm assensum & primam demonstrationem eliciendam concurrit, tanquam supplens vices habitûs Theologici: ipsa autem Fides concurrit tanquam causa adæquata & permanens, ex cuius permanentia, habitus Theologiæ euadit permanens; ad secundarias autem demonstrationes Theologicas concurrit elicitiuè ipsemet habitus Theologiæ. *Ratio 7mi.* Quia Theologia nostra non est *per se* & essentialiter obscura (sicut fides) sed tantùm *per accidens,* i. ratione statûs quem habet in nobis Viatoribus, in quo regulatur per Fidem & obscuram cognitionem: Ergo quando homo mutat statum Viatoris in statum Comprehensoris, simul cum illo Theologia mutat statum obscuritatis sibi accidentaliter competentem, in statum Euidentiæ & Claritatis sibi ab intrinseco debitum: quemadmodum & Charitas viæ, à libera transit in necessariam in Patria: semper eadem manens numero: quia Libertas non est Essentia sed quidam modus accidentalis est Charitatis, conueniens ei ratione statûs Viæ. *Ratio 8ui.* Quia Theologia nostra innititur reuelationi Fidei: & hæretica propriæ existimationi. 2. Nostra deducendo ex articulis Fidei suas Conclusiones, habet infallibilem certitudinem suarum Conclusionum: ast hæretica deducendo ex Fide acquisita fallibili suas conclusiones, solùm existimatam habet certitudinē. Imo Theologia dæmonum & damnatorum est verior Theologia, quàm Hæreticorum. Quia Fides dæmonum vt pote coacta innititur argumentis infallibilibus, s. signis & portentis in confirmationem nostræ Fidei factis; quæ argumenta respuunt hæretici. Damnati quoque habent Fidem purè illustratiuam intellectûs, quia sic credunt quòd nollent credere & ex hoc quòd credunt coactè, possunt Theologicas deducere Conclusiones, solùm intellectûs illustratiuas.

Nos

Nos Catholici habemus Fidem supernaturalem, non solùm *illustratiuam* intellectûs, sed etiam *affectiuam* Uoluntatis ad bonum; vnde ex hoc quòd credamus liberè & meritoriè, possumus Theologicas deducere Conclusiones, & intellectûs illustratiuas, & voluntatis accensiuas.

IV. VNITAS Theologiæ nostræ est specifica athoma, prout se extendit tam ad partem speculatiuam, quàm practicam moralem: 2. siue procedat ex duabus de Fide, siue ex vna de Fide, & altera euidenter nota. *Ratio 1mi.* Quia Theologia procedit per luminis Diuini certitudinem; iam autem Lumen Diuinum est efficax ad attingendum simul, & ea quæ sunt ab opere naturæ s. speculatiua: & ea quæ sunt ab opere nostro s. Moralia; consequenter & Theologia Nostra, sub vna ratione formali obiectiua, attingit vtramque lineam, inquantum s. omnia probantur & deducuntur ex immediatè reuelatis. *Ratio 2di.* Quia Theologia omnes suas Conclusiones infert ex præmissis de Fide, & easdem resoluit in solas præmissas de Fide, quantùm est *ex se*: dum verò Theologia ex vna de Fide, & altera naturali infert Conclusionem Theologicam, talis Conclusio innititur soli præmissæ de fide, quantùm est *de se*: quantùm verò est ex conditione subiecti, præmissa naturalis habet se per accidens; ideoque Theologia siue procedat ex vna præmissa de fide: siue ex vna naturali & altera de Fide, semper tamen est æqualis & eiusdem certitudinis attentâ Essentiâ & naturâ scientiæ quantum ad *per se*: licet sit inæqualis attentâ conditione subiecti, quantum ad *per accidens*. T. q. Intellectus plenè percipiens vim Antecedentis simplicis, non indiget ad inferendum maiori *Vel* minori, sed solùm tunc, quando non percipit adæquatè vim illatiuam Antecedentis. Ergo quia noster intellectus est imperfectus, hinc ex vi Diuinæ Reuelationis hanc præmissam: *Christus est homo*: cùm plenè non percipiat esse adæquatam causam huius Conclusionis: *Christus est risibilis*: ideo addit hanc Vniuersalem ex sua imperfectione *Omnis homo est risibilis*: In Patria noster intellectus extra Verbum discurens addit Vniuersalem; ex libertate, non ex necessitate imperfectionis.

V. FINIS Theologiæ est speculari Deum & operari propter Deum, ideoque Theologia ex parte finis est simul Speculatiua & Practica 2. & est formaliter vtrumque. 3. primariò tamen Speculatiua & secundariò Practica. *Ratio primi* Quia subiectum Theologiæ Deus, & est summum speculabile: & est summum regulans per modum vltimi finis nostrarum actionum; & sub vtraque ratione in diuersis Tractatibus attingitur à Theologia. *Tum quia* Theologia sub vna ratione formali s. sub cognoscibilitate mediata & virtuali se extendit ad ea omnia quæ pertinent ad scientias Speculatiuas ac Practicas. *Ratio 2di.* Quia Theologia ex reuelatis à Deo, probat Diuina Attributa Deo conuenire; iam autem Ratio Speculatiui consistit formaliter in processu resolutorio Conclusionum ad sua principia speculatiua. Similiter Ratio Practici scibilis consistit formaliter in processu operis directiuo, hoc est in resolutione operationum ad principia Practica; iam autem Theologia formaliter circa consecutionem Vltimi finis per nostros actus, multa demonstrat ex reuelatis de Deo, reducendo illa ad prima principia practica fidei, hoc est ad regulas & præcepta Diuina ac naturalia, quæ scilicet in S. Scriptura reperiuntur; consequenter formalissimè est Speculatiua & Practica. *Ratio 3tij.* Quia Theologia principaliter agit de rebus Diuinis, & secundariò de actibus humanis, secundùm quòd homo per eosdem ordinatur ad Diuinam cognitionem. *Tum quia* Fides cui innititur Theologia, primariò est speculatiua inquantùm inhæret Primæ Veritati, & secundariò Practica inquantum per dilectionem operatur. T. q. Sicut ad scientiam Dei pertinet agere primariò de Deo, vt immediatè connexo cum bonis diuinis: & secundariò vt connexo cum bonis creatis; Ita ad Theologiam (quæ est formalis participatio scientiæ Dei) attinet

attinet primariò agere de Deo vt connexo cum bonis diuinis, demonstrando ex reuelatis ei Diuina Attributa conuenire: ast secundariò de Deo vt connexo cum actionibus nostris humanis. *Hinc solus Deus sub ratione Deitatis* est obiectum Theologiæ primarium; & *Deus Incarnatus* est obiectum secundarium; licet tam Deus sub ratione Deitatis, quàm Deus Incarnatus *per se* pertineant, ad Fidem, verùm diuersâ perseitate: nam Deus per se spectat ad Fidem perseitate obiecti primarij; & Deus Incarnatus, spectat per se ad eandem, perseitate necessitatis ad salutem, quia mysterium Incarnationis necessitate medij necessarium est credere ad salutem, nam per hoc mysterium habemus ingressum in gloriam filiorum Dei.

VI. OBIECTVM formale *Quod* Theologiæ nostræ est Deus sub ratione Deitatis: 2. Ratio verò formalis *sub Qua* est reuelatio virtualis & mediata. *Ratio primi.* Quia omnia de quibus tractat Theologia, considerat sub ratione Deitatis seu Quidditatis Diuinæ, prout hoc nomine exprimitur *Deus*: tractat enim Theologia de alijs secundùm quod dicunt habitudinē ad Deū, vt ad principiū & finem: & de ipso Deo tractat per se, cùm sit sermo de Deo. *Tum quia* Idem est obiectū principiorū ac Totius Scientiæ, cùm tota Scientia continetur in principijs; iā autē Principia Theologiæ s. articuli Fidei habent pro Obiecto specificatiuo Deū, *Vel* tanquā Subiectū de quo credit: *Vel* tanquā rationem formalē motiuam ad credendum: ideo sub prima consideratione articuli fidei respiciunt Deum sub ratione Deitatis, & tanquam subiectum seu obiectum specificatiuum (dicimus enim, illud quod cognoscit Theologia, esse *obiectum*, & illud de quo cognoscit, esse *subiectum*) & sub secunda consideratione est Deus vt prima veritas reuelans: consequenter & Theologiæ idem est obiectum quod & Fidei, secundùm primam considerationem. *Ratio 2di.* Quia Theologia per reuelationem mediatam distinguitur, *tum* à fide, quæ innititur Diuinæ reuelationi immediatæ; *tum* à Metaphysica quæ innititur lumini naturali & abstractioni passiuæ. Articuli Fidei dicuntur esse *immediatè* reuelati: & Conclusiones Theologicæ dicuntur esse reuelatæ *mediatè*, inquantùm præcontinentur in articulis Fidei virtualiter, *aut* tanquam effectus in causa, *aut* tanquam proprietas in Essentia quæ per discursum deducitur.

VII. SCRIPTVRA SACRA sub vna litera habet sensus quatuor: 2. nullusque Sacræ Scripturæ sensus literalis est nociuus ac mortiferus. Primum docetur illis Versibus.

Litera gesta docet, quid credas Allegoria?
Moralis quid agas? quò tendas Anagogia,

Ratio 2di. Quia ipse Christus Iesus approbauit sensum literalem Math. 19. illud Geneseos 2do: repetendo. Quam ob rem relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit Vxori suæ, & erunt duo in carne vna. *Tum quia* illud Apostoli 2. Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus autem viuificat*: si intelligatur de vero ac germano sensu, verificatur: *Vel* de veteri testamento, quod obseruandum mandat id, quod iam obseruari non debet: quales sunt leges iudiciales & Ceremoniales quæ iam cessauerunt. *Vel.* quia in tali sensu sistere non debemus, sed statim ab illius lectione recurrere ad spiritualem; *Vel* si intelligamus de Decalogo: hinc quia præceptis Decalogi promulgatis, peccati vinculo obligamur, & supplicio afficimur: & tamen non à Decalogo, sed à Gratia Dei, ad explenda præcepta Vires accipimus; ideoque Litera iubens occidit, & Gratia redundans inspirat salutem: *Vel* tandem Litera occidit eos qui transgrediuntur Legem Moysi: & spiritus Euangelij si deprehenderit mortuos, viuificat per Baptisma nobis collatum per IESVM CHRISTVM in sæcula gloriosum.

AMEN.

TVRRIS GRATIANOPOLITANA
AB OMNI VENENO PROCVL.

Hyacinthino Tuo imminet Capiti.
Clarissime Nobilis & Spectabilis Domine.

D. HYACINTHE ŁOPACKI.

Philosophiæ & Medicinæ Doctor.

PROCONSVL PRVDENTISSIME.

Gemma es, Flos es, Hyacinthus es.
Substantiua Tuæ Virtutis Nobilitas
AB OMNI VENENO PROCVL.
ERGO
Benè se locat in Tua Gratiarum Turri
SVPREMA SACRÆ THEOLOGIÆ NOBILITAS
Quæ gloriosa ex sua progenie, est
HYACINTHINVM SALVTIS PERPETVÆ ANTIDOTVM
Hincque Soli exambit inscribi Tuæ Turri, quæ extat
AB OMNI VENENO PROCVL
QVIA EST

MONOCEREA.	* CYGNEA.	* EBVRNEA.	* NIVEA.
Ob insignem erga DEVM Pietatem Hæreticos respuens pestiferos.	*ob suauem oris & cord: Harmoniam. Sophistas condēnas duplicatos.*	*ob incōtaminatā promissæ fidelitatis stabilitatē mendaces proscrib: Labanos.*	*ob candidā senilis iudicij Maturitatē, Leues arcēs. Robóamos.*

I D E O Q V E.

MENECRATICA	* HIPPOCRATICA	* PHILIPPICA	* CRINICA.
extra mercedem præstans medellā	*extra Lybithinam Extrahens Vitam.*	*extra suspic: Mag: curans Alexandros*	*extra Aspectu nō præscribens pharmaca.*

Gratissima hæc ex Gratia Poli Quadratura

IANICA	ISOCRATICA	AREOPAGICA	CATONICA.
in Proconsulatu	*in Rostris*	*in Tribunali*	*in Senatu.*

Hyacinthinam Tui Nominis præseferens amplitudinem
Æsculapij Phænicem Te seculis commendasset
ni Feliciore Polo.
Pares Galeno ex Te protulisses Antonios.
etiam Togato VINCLERORVM Sanguine illustris.
Præeminentem Tantarum Virtutum Nobilitatem
IN TE HYACINTHO HYACINTHINA PROPAGO VENERATVR
Pectori Tuo Gratioso superinscribendo ac imprimendo
Supremam Sacræ Theologiæ Nobilitatem,
Quia Totus Nobis factus es
TVRRIS GRATIANOPOLITANA.

TVRRIS CYZYCA.

MVLTIPLICI SVAVIOR ECHO.
Tuo TVLLIANO deseruit Honori.
Clarissime Nobilis ac Spectabilis Domine

D. ALBERTE SLESZKOWSKI.

Philosophiæ & Medicinæ Doctor, S. R. M. Secretarie.
In Tui amplioris Honoris ornamentum
SVPREMA SACRÆ THEOLOGIÆ NOBILITAS,
Prætendit etiam Tuâ suauiori deprædicari suadâ.
Viatrix Theologia echo est Beatricis.
Beatrix vno loquitur Verbo, Viatrix multiplici Symbolorum
idemmet pronunciat eloquio.
PROINDEQVE.
Multiplici Tuæ Tullianæ Eloquentiæ Lydio.
Sese offert inscribenda, celebranda, promouenda, cingendaq;
Multiplici Te circumstantium virtutum Coronâ.
AMITHAONIS, ARISTOGENIS ac CRITOBOLI.
intra arcana naturæ inuexit Te
TRIVMPHALIS CVRRVS.
Sarmaticæ D. IAGELLONIS Athenæ,
Auriferum cum Pomponio propinauére Pactolum.
Vt Tu ipse Patauinam Coronam dum coronabaris
coronares.
SIC CORONATVS DOCTOR.
Vt ægras mortalium mentes curares, Metropolitanus persuasit Areopagus.
Tibi Catoni ob restitutos mores statuam Censoriam erecturus.
NVNC ERECTAM TE ARCHIMEDE VENERANDO CAROLINAM
Tam Clarissimo Filio Academicis Ecclesiasticisq; Exedris dicato
ILLVSTREM
Quàm Cælo natis CELESTONIBVS, MVCHARSCIISQVE
Æsculapijs claram.
Et hoc in Tuum cedit Honorem
Quod Cæsari olim dixerat Varro Geminus:
Qui apud Te ô Cæsar audent dicere, Magnitudinem Tuam ignorant
qui non audent, Humanitatem.
Tu solus Isocrates Varrum Geminum superasti
Quia & magnitudinem Sacrarum Maiestatum nosti Secretarius,
Ac Regum Humanitatem promeruisti, quorum Aduentum
ad Vrbem & Coronam panegyricis præuenisti salutationibus,
Perennabit igitur resonans Tua Fama
Viuet adbuc, stringetq; Vagis sermonibus aures
Gloria Magna Tui quam nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube Vetustas.

A L T A
DIVINÆ EXISTENTIÆ, DEMONSTRABILITATIS, ac QVIDDITATIS COGNOSCIBILITAS.

DEUM ESSE. eſt per ſe notum ſecundùm ſe: 2. non tamen quoad nos Viatores: 3. clarè tamen quoad Comprehenſores, hæc Propoſitio: *Deus eſt:* eſt per ſe nota: 4. Etiam puer perueniens ad vſum rationis in primo inſtanti, nequit ignorare inuincibiliter Dei veri Exiſtentiam: 5. Nec in decurſu vitæ de prædicta Propoſitione poteſt dari in aliquo ignorantia inuincibilis. *Ratio primi.* Quia iſtius Propoſitionis *Deus eſt*: Prædicatum eſt idem omnino cum ſubiecto ſumpto *ſecundùm ſe*: Et hoc modo ipſamet Eſſentia Diuina intranſitiuè ad aliam Uirtualitatem eſt Eſſe à ſe; nec in Deo diſtinguitur *Ens nominaliter* ab Ente *participialiter*; iſta enim tantùm locum habent in his quæ habent Eſſe ab aliò. *Ratio 2di.* Quia nos viatores pro hoc ſtatu, cùm non cognoſcamus quidditatiuè Deum, ignoramus quidditatiuam notitiam huius Propoſitionis: *Deus eſt*: & eius notitiam per diſcurſum ex creaturis acquirimus; iam autem Propoſitio cuius notitiam habemus ex aliquo magis noto, procedendo ad minus notum, non eſt Propoſitio per ſe nota quoad nos. *Ratio 3tij.* Quia Exiſtentia Diuina eſt de Eſſentia Diuina prout eſt in ſe: & hoc modo à Beatis attingitur; iam autem Illud eſt per ſe notum alicui, cuius prædicatum clauditur in ratione ſubiecti vt cogniti ab ipſo. *Ratio 4ti.* Quia Deus iuxta illud D. Ioan cap. 1. *Illuminat omnem hominem Venientem in hunc mundum.* Quæ Illuminatio principaliter debet eſſe de Exiſtentia ſupremi Legiſlatoris, ad quem tenetur ſe conuertere iuxta illud: Conuertimini ad me in toto corde veſtro: Et hoc conuerſionis Præceptum obligat omnem venientem ad vſum rationis: nemo enim legi ſe ſubdere valet, niſi prius Legiſlatoris cognoſcat Exiſtentiã in particulari; Ipſa autem Conuerſio debet eſſe talis, ad quam ſequatur collatio gratiæ habitualis remittens ei peccatum Originale. Hinc Deus obligans puerum ad talem conuerſionem, tenetur ei dare ſufficientiam *ad poſſe adimplere* tale præceptum: ſufficientia autem hæc incipit à cognitione Legiſlatoris, conſequenter Deus tenetur illuminare puerum, dando ei fidem de Legiſlatore. *Ratio 5ti.* Quia iuxta communem Theologorum doctrinam, Præcepta legis naturæ, non poſſunt inuincibiliter ignorari. Ergo neque Deus: cùm ille ſit Author & Finis talium præceptorum. *Tum quia* Ignorantia inuincibilis excuſat à peccato: iam autem ad Rom. 1. ignorantes Deum dicuntur inexcuſabiles.

II. DEMONSTRABILITAS Exiſtentiæ Dei de fide tenenda eſt, poſſe nimirum demonſtrari ſolis viribus naturæ de Deo quòd exiſtat: 2. non tamen à priori pro hoc ſtatu: 3. Valideque à Doctore Angelico Atheiſmus: 4. ac Polytheiſmus gemit expugnatus, humiliatus, annihilatus. *Ratio primi.* Quia iuxta D. Paulum ad Rom. 1. *Quod notum eſt Dei* (id eſt quod ratione naturali poteſt agnoſci) *manifeſtum eſt in illis*: (id eſt in Gentilibus Philoſophis omni prorſus lumine fidei deſtitutis) *Deus enim illis manifeſtauit* (naturale infundendo lumen ſ. intellectum) *inuiſibilia enim ipſius* (ſ. Eſſentia, Virtus operatiua & Diuinitas, Vltimus omnium finis) *per ea quæ facta ſunt* (tanquam per medium ducens in cognitionem Dei) *intellecta conſpiciuntur.* Ergo quia iuxta allegatam D. Pauli authoritatem ac Doctoris Angelici explicationem) Exiſtentia Dei demonſtratur per ea quæ naturalia ſunt ſ. per lumen actiue demonſtrans, quod eſt Intellectus, & per medium naturale ſ. per Creaturas ſenſibiles; ideo ex ſolis Viribus naturæ *Deum eſſe* poſſe demonſtrari ſecundùm fidem eſt aſſerendum. *Ratio 2di.* Quia vt à Priori ſolis viribus naturæ demonſtretur Exiſtentia Dei, Medium talis Demonſtrationis debet eſſe *Quod quid*

ipſius

ipsius Dei. Et tale Medium est nobis pro hoc statu incognitum, quia Theologi Viatores Quidditatem Dei opinantur consistere, alij in *Intelligere radicali*: alij *in actuali*: alij in *Aseitate*: alij *in Immaterialitate summa*: alij *in collectione Diuinorum Attributorum.* Quarum opinionum pluralitas, manifestè declarat, quòd suas Conclusiones non possint resoluere in principia certa & euidentia; iam autem Demonstratio à priori, quæ solis viribus naturæ haberi posset de Deo, deberet esse certa & euidens. *Rationes 3tij.* Contra Atheistas seu negantes Existentiam Dei sunt quinque. *Prima* Datur Vnus primus Motor omnia mouens, ipse tamen est omnino immobilis. *2da.* Datur primum Efficiens: quia Omne quod fit & causatur, ab alio fit & causatur. *3tia.* Datur aliquod Ens necessarium, à quo omnia contingentia Esse participant, & in illud reducuntur. *4ta.* Datur aliquod Ens summè perfectum: & tale Ens est Deus. *5ta.* Datur supremus Gubernator & Prouisor qui singulas creaturas, etiam cognitione carentes in suos fines ordinat & dirigit. *Rationes 4ti.* contra Politheistas seu pluralitatem Deorum admittentes. *Prima* Deus est essentialiter singularis: vt pote Ens per Essentiam; iam autem Essentialiter singulare est immultiplicabile. *2da.* Deus est summè magnus; iam autem summè magnum par & æquale habere nequit. *3tia* Deus est simpliciter infinitus in omni genere; iam autem Infinitum simpliciter tale, cùm contineat omnes perfectiones omnium generum, non potest esse nisi vnum. *4ta.* Deus est summè Bonus quo nihil melius excogitari potest; iam autem Melior est illa natura in qua plenitudo essendi, ita eminenter ac vnitè continetur, vt extra illam nihil sit, nisi ab illa deriuatum, quàm illa extra quam reperitur aliquid omnino independens & imparticipatum. *5ta.* Deus est prima causa omniũ, ideoq; vnus: *partim* quia in rebus creatis, quod optimum reperitur, est Mutua vnitas: iam autem quod optimum est, debet proficisci ab vno optimo Primo Principio: *partim* quia omnis multitudo & pluralitas debet reduci ad vnum: *partim* quia virtus vnita fortior est, quàm dispersa.

III. QUIDDITAS DEI metaphysicè considerata, non constituitur collectione omnium attributorum & perfectionum: 2. nec ratione Entis à se: 3. nec Existentiâ: 4. nec intellectione per modum actûs secundi: 5. sed prout Quidditas Dei *nomine Essentiæ* significatur, sic constituitur per immaterialitatem completam, seu per rationem substantiæ per se purè spiritualis: 6. prout verò *nomine Naturæ Diuinæ* explicatur, sic constituitur per radicem intellectionis comprehensiuæ Dei: 7. non tamen ratio Essentiæ & Naturæ virtualiter distinguitur in Deo. *Ratio primi.* Quia Constitutiuum Metaphysicum Quidditatis Diuinæ, est ille conceptus, in quo, nostro modo intelligendi habetur prima radix omnium Diuinorum attributorum; sicut in creatis, id dicimus Essentiam, quod radicat omnes perfectiones creatas, quæ in aliquo ente creato reperiuntur; iam autem Conflatum ex omni perfectione Diuina, quia formaliter constat ex perfectione *radicante*, & ex perfectionibus *radicatis*, ob virtualem inter illas ordinem ac distinctionem: (vt patet inter intellectum & voluntatem, & inter ipsa Absoluta & Relatiua) hinc est quod tale Conflatum, nostro modo intelligendi, habet se ad omnes perfectiones, sicut se habet Totum ad partes, ex quibus coalescit: proindeque sicut Totum non intelligitur radicare suas partes, ita nec Conflatum intelligitur esse prima radix Diuinarum perfectionum. *Ratio 2di.* Quia Constitutiuum Differentiale Dei, debet esse id, ad quod omnia quæ sequuntur comparantur vt proprietates; iam autem ad *Esse à se* ista prædicata *Esse immateriale: Viuens: intelligens*: nostro modo intelligendi non comparantur tanquam proprietates: *partim*, quia in ipsis creaturis (ex quibus argumentamur ad Deum) spectant ad Essentiam: *partim* quia in linea substantiæ *nec* sunt prædicata superiora ad *Esse à se*: *nec* ad gradum Entis habent se consecutiuè. *Ratio 3tij.* Quia Existentia virtualiter distingui-

tur in

tur in Deo ab Essentia *partim*, quia Conceptus Obiectiuus Essentiæ explicatiuè est extra conceptum Existentiæ: *partim*, quia in linea *Essendi*, Essentia dicit actum primum, & Existentia actum secundum: sicut ratio veri principij dicit actum primum, & ipsa operatio actum secundum in linea *operandi*: quæ lineæ in creatis *realiter*, translatæ in Deum *virtualiter* solùm distingui debent. *Ratio 4ti.* Quia Intellectio per modum actûs secundi, est intellectio per modum operationis: & de ratione operationis est, quòd supponat in re rationem principij à quo oriatur; iam autem Essentia & Natura Diuina, neque re, neq; ratione præsupponit aliquod principium, cùm ipsa sit prima radix attributorum & operationum, proindeque intellectio per modum actûs secundi, nequit esse constitutiua Naturæ Diuinæ. *Tum quia* Intellectio per modum actûs secundi, constituit Naturam Diuinam, *aut*, sub conceptu vltimæ actualitatis: *aut* sub conceptu actionis, & prout intelligitur vt egrediens; *tunc inquiro*: A quo Intellectio vt actio intelligitur egredi? an ab ipsa vltima actualitate per quã actio constituitur in esse actionis, & distinguitur ab actualitate principij operatiui quæ est actus primus de linea operatiua? an verò ab alia actualitate per quam natura præsupponitur ad actionem constituta? si dicatur primum: dicetur falsum, nam cùm impossibile sit intelligere actionem egredi à principio, quin intelligatur ipsam vltimam actualitatem actionis egredi à principio, affirmandum erit, quod ipsa vltima actualitas actionis egrediatur à seipsa; quod nullus valebit intelligere. Si dicatur secundum; dicetur verum, attamen non poterit defendi quòd intellectio sub ratione vltimæ actualitatis constituat Naturam Diuinam. *Ratio 5ti.* Quia ratio substantiæ per se summè immaterialis, est prima radix omnium Diuinorum Attributorum: & prout sic non explicatur cum ordine ad operationem, sed tantùm comparatur vt actus primus de linea essendi cum actu vltimo, qui est Existentia; consequenter Natura Diuina sub consideratione Essentiæ, per summam constituitur immaterialitatem: prout summa Immaterialitas dicit *non aliquid commune*, ex vi terminorum, omnibus perfectionibus Diuinis: sed prout est *Differentia Contractiua* Substantiæ per se: *Partim* quia sic Immaterialitas summa, est quid particulare, soli virtualitati Essentiæ Dei conueniens, nam sola Essentia Diuina per se & *formaliter* Substantia est, aliæ autem perfectiones Diuinæ sunt Substantia *Materialiter*: cùm in creaturis sint accidens, quidquid ad naturam consequitur: *Partim*, quia cùm nulla creatura summè immaterialis sit, aut esse possit, etiam sufficienter per summam immaterialitatem assignatur distinctiuum Dei ab omni creatura sine additione particularum *à se*: *Partim* quia ratio substantiæ per se in Deo, conuenit speciei Impressæ, solùm materialiter: nam Substantia est de linea Entis, quæ diuiditur in Substantiam & Accidens: & species Impressa est de linea tantùm generis intelligibilis. Licet si Species Impressa in Deo, non dicatur attributum, quòd sit distincta virtualitas ab Essentia Dei, sed tantùm dicitur attributum, quia non est primus conceptus, qui habetur de virtualitate Essentiæ, proindeque possunt ei conuenire omnia, quæ conueniunt Essentiæ differentialiter sumptæ. *Ratio 6ti.* Quia Natura Diuina optimè explicatur per radicem primi attributi; iam autem primum Dei attributum est *Intellectus*, à quo proximè oritur intellectio, quâ Deus seipsum comprehendit. Ergo Essentia vt Natura solùm dicit principium operationis, & per consequens principium radicale tantùm attributorum; iam autem Essentia respectu eorum quæ tantùm spectant ad lineam essendi (qualia sunt Æternitas, Immutabilitas, Infinitas, & alia huiusmodi, prout hæc linea essendi contradistinguitur ad lineam operandi,) non habet propriam rationem Naturæ: quia enumerata attributa consequuntur ad substantiam per se summè immaterialẽ, prout hæc explicat habitudinem ad Existentiam, non verò prout explicat radicem operationis. *Tum quia* ex iam dictis constat, ad Naturæ Diuinæ Constitutiuum

Metaphy-

Metaphysicum pertinere ista prædicata, *nimirum* Quòd sit omnino primum, cuius principium nec etiam per rationem assignetur; *Seu* quòd dicat negationem essendi ab alio, tanquam à vera radice, & cum vera radicatione formali aut virtuali; hinc sequitur *2dum Prædicatum.* Quòd sit radix omnium attributorum, siue ad lineam essendi, siue ad lineam operandi pertinentium: licet sub alia & alia formalitate, inadæquata tamen; hinc *3tium.* Quòd non componatur ex duplici conceptu adæquato, quorum vnus supponat alterum se priorem cum vera radicatione. *4tum.* Quòd sit subsistens in plenitudine essendi: non proprietate Transcendentis, sed proprietate Constitutiui reduplicatiuè talis; hinc *5tum.* Quòd sit infinitum simpliciter, & omnis perfectio, essentialiter, radicaliter, exactiuè, implicitè, non verò formaliter. *Seu* sit omnia formaliter realiter, non verò formaliter virtualiter; hinc *6tum.* Quòd habeat ordinem virtualem ad omnes Diuinas perfectiones. hinc *7mum.* Quòd importet rationem actûs puri, non explicatiuè sed essentialiter. *8uum.* Quòd sit Vltima ratio differentialis; hinc *9num.* Quòd dicat *Quid est*, & Medium probatiuum à priori, & non *Quia est*; hinc *10mum.* Quòd sit perfectissimus conceptus, non in toto genere Entis, sed solius Essentiæ & Naturæ; hinc *11mū* Quòd non sit commune sed particulare: *Vel* sit commune ast materialiter, non verò formaliter. hinc *12mum.* Quòd non concipiatur vt *Potentiale Logicum*, quia implicitè omnia debet includere; nec vt *Potentiale Physicum*, quia debet esse actus purissimus omnino; nec vt *Potentiale Metaphysicum*, quia realiter est sua Existentia; benè tamen vt *Potentiale Dialecticum*, & penes modum significandi, inquantum omnia solùm radicaliter implicat, quæ in proprijs lineis habentur explicatiuè. Et ista duodecim prædicata collectiuè sumpta soli conueniunt Intelligere, sub ratione actûs primi considerato: prout speculanti altiùs, Veritas hæc euidentiùs elucescit. *Ratio 7mi.* Quia quæ in creaturis virtualiter adhuc non distinguuntur, nec in Deo possunt virtualiter distingui; iam autem Conceptus Essentiæ & Naturæ in creatis non distinguuntur Virtualiter: nã vg. Rationalitas eademmet, dicit & conceptum Essentiæ penes ordinem ad Existentiam, & conceptum Naturæ penes habitudinem radicis actionis rationalis. Hinc Animæ rationali priùs conuenit esse principium *Quo Essendi*, quàm esse principiū *Quo Radicandi* operationem, non prioritate rei, sed prioritate solius considerationis & conceptûs inadæquati ad inadæquatum, non verò virtualitatis completæ ad completam: quod etiam patet exemplo Relationis, cuius conceptus *In* priùs intelligitur conceptu *Ad* & tamen non sunt duæ virtualitates, sed cum conceptibus inadæquatis obiectiuis, vna omnino virtualitas; Ergo pariter Conceptus Essentiæ & Naturæ sunt eiusdem identitatis, subiectiuè, id est in eodem existunt, licet ex duplici respectu ad terminos sit inter eos distinctio inadæquata; proindeque non sint eiusdem Identitatis Terminatiuè tantùm: sic Paternitas quâ Pater ad plures Filios refertur, est multiplex *Terminatiuè* ex parte filiorum, & tamen *Subiectiuè*, Ex parte Patris est vna, nullusque dicit Relationem illam prout respicit Terminum, virtualiter distingui à se ipsa, prout respicit subiectum. Idem patet in quatuor Relationibus Diuinis, quarum tres constitutiuæ Personarum distinguuntur ad inuicem realiter: & tamen Paternitas ac Filiatio non distinguuntur realiter à Spiratione Actiua *Subiectiuè*, Vnde sola quæ non sunt eiusdem Identitatis, non sunt eiusdem virtualitatis, subiectiuè & Terminatiuè; secus Terminatiuè tantùm. Iam autem conceptus præfati dum transferuntur in actum purissimum, excludunt distinctionem in Deo simplicissimo Cui Æternus sit Honor.

In Christo Iesv

Amen.

TVRRIS ECBATANA
VETVSTATE GLORIOSIOR

Coram Cano Tuo consurgit Capite
Nobilis ac Spectabilis Domine

D. VALENTINE SMITH.

S. R. M. Secretarie.
Similis vt simili gaudeat, naturæ sancitum legibus.
Gloriosum proinde Venerabilissimæ Canitiei Caput
ALTA DIVINÆ EXISTENTIÆ COGNOSCIBILITAS
dum coronat, Te in Vetustate renouat.
ILLE ANTIQVVS DIERVM
Cuius Vestimentum candidum sicut Nix
& Capilli Capitis eius quasi Lana Munda
Candidam Tuarum Virtutum conseruat Existentiam.
Demonstrabilitate hic candor non eget, qui natiuo fulgore cæteros illuminat.
ERGO
Ad antiquarum normam incorruptibilem legum
Seriam priscæ consuetudinis formasti obseruantiam
Iuratus excentricarum nouitatum Hostis.
Non per deuia sed Regiâ incedens Viâ
Candidam ad exemplum, Venerandam ad meritum, optandam ad
Bonum Publicum, gloriosam ad Lithuaniæ Principum
Romanouiciorum Affinitatem instituisti vitam: eâdem
In Nobilissimo Viro & Domino

D. LVCA WINKLER.

Regio Vectigaliario, per Nuptiales Filiæ suæ Contractûs, relucente.
MVNDA LANA.
Consilium Tuum quod omnes sequuntur
Oraculo Apollinis efficacius.
NIVEVM VESTIMENTVM
Speciosum Canitiei Tuæ Iudicium.
Matura in arduis Dexteritas.
Perspicax in perplexis Prudentia
Omniq; morum suauitate, Consularis temperata Dignitas
VETVSTATE GLORIOSIOR REFLORESCIT VIRENTI
Gaderano Senectuti dicato firmior Templo.
Viue igitur in ea quam tot meritis ornasti ætate
Semper Validus, semper Gloriosus,
Ac Tuum in Turri Ecbatana
Non tam Persarum & Medorum Thesauris
quàm Vetustate inconsumptibili, notissima.
Nomen fama vebat trans æquora transq; remotas
Thetyos ambages Atlanteosq; recessus.

TVRRIS VENETIANA
FVNDAMENTIS MIRABILIOR.

DEI VERI EXISTENTIS
Verbo Virtutis suæ omnia creantis, portantis, conseruantis
sine Principio & Fine, sine Fundamento & Termino permanentis
Symbolum exactissimum.
Grande est Decus, Firmitas & Altitudo Virtutis Tuæ
Nobilis ac Spectabilis Domine

D. ANDREA BELLI.

**Omnia de manu DEI accepta, in ipsum
DEVM referens beneficia.**
HOC VNICO FVNDAMENTO
In Virtute, Honore, Fortuna, Valetudine,
Et Vt Videas filios filiorum Tuorum.
in Nobilissimarum Familiarum Benedictione
existis fundatissimus.
Fundamentum Hoc, excedens omne pretium
Ipso aureo Venetianæ Turris fastigio Pretiosius,
Non ex lateribus coctis sed ex pretiosis Pipa-
nouiorum, Maydaszeuiciorum, Mechoniorum, Rolenscio-
rum, Altermaierouiorum, Boimorum, Zywiecciorumque
nobilissimorum Vnionibus elaboratum
Aureo superexornas fastigio.
Aureâ Inclyti Senatûs refulgens Coronâ
Paduanis semper Floridior Hortis.
Nec satis Tuæ correspondet Altitudini, Te ijs ortum Auis Atauisque
qui Magno Nomine, Maiori Virtute, Maximâ denique Gloriâ
Orbi Celebrantur Vniuerso.
Altiùs ascendisti.
Auream Angeli in Turris Venetianæ summo locati speciem
Pietate, Beneuolentiâ, Prudentiâ ac Dexteritate
imitando, exprimendo, circumagendo.
ERGO
Anni Tibi fluant Angelici, incorruptibiles, omniq; Virtute
Gloriâ & Honore fundatissimi.
sic feliciter pacificis non belligeris ominantibus
GVSMANICIS STELLIS.

DIVINORVM ATTRIBVTORVM
PERFECTIO, DISTINCTIO, MAGNIFICENTIA.

PERFECTIONES omnium rerum reperiri in Deo de Fide est: 2. tã simpliciter simplices, in suo cõceptu solũ perfectionẽ dicẽtes: 3. quàm non simpliciter simplices, prout .s. perfectionem, non autem imperfectionem explicant: 4. Et Deus cum Vniuerso simul non est quid perfectius intensiuè: 5. ac etiam extensiuè quàm solus Deus. ***Primum*** docetur Math. 5. ***Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*** Ratio suffragatur. Quia Deus est ***prima*** Causa Effectiua omnium rerum; iam autem in virtute causæ agentis præexistit effectus modo perfectiori; consequenter in Deo Causa Prima, secundùm eminentiorem modum necesse est omnes perfectiones præexistere. ***Tum quia*** subsistens in ipsa plenitudine essendi, præhabet in se omnem perfectionem de linea essendi; iam autem Deus est Subsistens Indiuiduum in ipsa plenitudine essendi, depuratum ab omni fæce potentialitatis, ideo sequitur necessariò, tale Indiuiduum habere Essentiam quæ sit sua Existentia, ac perconsequens quòd sit ***suum Esse***, proindeque cum careat potentialitate, per quam in creatis perfectiones inter se distinguuntur, ideo necessariò tale Indiuiduũ est Omnis Perfectio quæ in creaturis reperiri potest. ***Ratio 2di.*** Quia Deo dandum est formaliter omne id, quod in suo conceptu formalis denominationis non dicit imperfectionem; Et tales sunt perfectiones simplices. vg. sapientia, Misericordia, vita &c: quæ perfectiones reperiuntur in creatura genericè, specificè, & indiuidualiter: iam autem in Deum translatæ, secundùm Analogiam, formaliter dicuntur de Deo: nam Deus est propriè sapiens, Viuens &c. ***Ratio 3tij*** Quia perfectiones secundùm quid sunt relegandæ à Deo: vg Homo in quantum est ***substantia, viuens, intelligens***, dicit perfectionem, vnde ratio Substantiæ, viuentis, & intelligentis, formaliter reperitur in Deo: iam autem Homo in quantum est ***corpus, quantum, sensitiuum***, dicit imperfectionem, vnde ratio Corporis, Quanti, & sensitiui, formaliter non reperitur in Deo: nam ista est falsa: ***Deus est corpus, quantus, &c.*** ***Ratio 4ti,*** Quia quidquid perfectionis est in vniuerso, id totum formaliter reperitur in Deo. Ergo intensiuè solus Deus ita est perfectus sicut Deus & vniuersum simul. ***Ratio 6ti.*** Quia vniuersum participans perfectionem à Deo per Essentiam perfecto, in quo quoad rationem adæquatæ perfectionis præcontinetur, comparatur ad ipsum Deum in linea perfectionis sicut punctum ad lineam, quæ nullam faciunt extensionem.

II. DISTINCTIO inter Essentiam & Attributa Diuina est Rationis ratiocinatæ, tantùm: 2. penes implicitum & explicitum: 3. & Distinctio Media realis formalis seu ex natura rei ante intellectionem operationem non datur: 4. nec distinctio virtualis intrinseca realiter existens antè intellectus actualem considerationem, distincta à distinctione fundamentali rationis admittitur. ***Ratio primi.*** Quia quæcunque de Deo dicuntur non æquiuocè, sed secundùm conuenientiam Analogam; & in creaturis ratio vnius, non est ratio alterius, illa distinguuntur in Deo cum fundamento in ipso, & consequenter Ratione ratiocinatâ; iam autem Essentia, Intellectus, voluntas, &c. dicuntur de Deo & creaturis, secundùm conuenientiam Analogam: & in creaturis, ratio seu Definitio vnius, non est Definitio alterius. vt de se patet. T. q. Deus, non tantùm ex imbecillitate intellectûs nostri, sed maximè ex vi suæ supereminentis Continentiæ plurium perfectionum, non potest hic saltim in via, vnico conceptu adæquato attingi à nobis. Ergo pluribus conceptibus indispensabiliter attingitur. ***Ratio 2di.*** Quia in omni conceptu Obiectiuo

Diuinæ

Diuinæ perfectionis, debent actu includi omnia Diuina; aliàs talis conceptus esset potentialis oppositus Actui puro. *Ratio 3tiĳ.* Quia sicut non datur Medium inter Ens reale & Rationis, ita nec potest dari Medium inter Distinctionem realem & rationis. *Tum quia.* iuxta Definitionem Concilij Florentini Sess: 19. Essentia & Relationes Re non differunt, quandoquidem Sola Ratione ac Intelligentia differre creduntur. *Ratio 4ti.* Quia ista Distinctio virtualis intrinseca, ab Authoribus extraneis ideo in Deo admittitur, vt inter prædicata Diuina verificentur Contradictoria: nam verificatur: *Natura Diuina est communicabilis, & Persona* Diuina non est communicabilis; iam autem ad saluandam istam Contradictionem, sufficit Essentiam & Personam in Diuinis differre, secundùm intelligentiæ rationem.

III. DEVS est Simplicissimus. Quia Compositionis Physicæ, Metaphysicæ, Logicæ per modum Excludentis & Exclusi, est omnino expers, ob rationem Actûs purissimi Nec ex tribus Personis Diuinis fit Compositio: quia Vniuntur in Essentia in qua conueniunt; non verò in Relatione in qua opponuntur. Nec etiam in Misterio Incarnationis Persona Verbi componitur, quia ibi se habet purè per modum *Terminantis*, non autem *Informantis*, aut partis materialis.

IV. DEVS est Bonus *Bonitate Absolutâ*, quia habet totam infinitè sibi debitam perfectionem. *Bonitate Relatiuâ* quia conueniens est omnibus creaturis vt ipsarum Causa Efficiens, Exemplaris, ac Finalis. *Bonitate Morali*, quia Iustus in omnibus vijs suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. *Bonitate Diffusiuâ seu Beneficentia*: quia omnibus dat abundanter; in emanationibus internis, in productionibus externis, tum in ordine Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, & vnionis Hipostaticæ.

V. DEVS est Infinitus. Quia eius Esse irreceptum, non potest limitari, nec limitatiuo *Materiali*, quia alias reciperetur in subiecto: nec limitatiuo *Formali* quia Esse, est vltima actualitas impotens per vlteriorem limitari. T. q. Deus est Ens à se ab omni Efficiente limitante independens. T. q. Deus produxit res ex nihilo; ad quod infinita Agentis actiuitas requiritur.

VI. DEVS est Immensus, seu defacto vbique est, id est, in omni re existente realiter extra causas, præsens: 2. per operationem tanquam per rationem formalem: 3. Virtualiter transeuntem: 4. Nec Deus est in spatijs imaginarijs: 5. existit tamen in omni loco, vt in loco, replendo illum effectiuè: non verò formaliter. *primum* habetur Ierem. 23. *Nunquid non cælum & terram ego impleo. Ratio* Quia oportet quòd omne agens coniungatur ei, in quod immediatè agit, & suâ virtute contingat illud; iam autem Deus, immediatè agit in omnem rem: nam, Esse intimum vnicuique rei est effectus proprius Dei, per se primo, & prout solam imputat actualitatem Entis vt Ens est. *Ratio secundi.* Quia sicut Deus, in omnibus est *Per potentiam*, quia omnia æqualiter eius subiacet potestati. *Per Præsentiam*, quia omnia nuda & aperta sunt oculis eius: ita etiam in omnibus est *Per essentiam*, non in quantùm est Pars essentiæ earum aut Accidens, sed in quantum est vt Causa essendi, seu vt agens, ad est vnicuilibet rei, in quantum immediatè operatur, immediatione Virtutis & suppositi: iam autem Agens immediatè in aliquam rem immediatè debet ipsam tangere: Contactus verò Diuinæ Virtutis, solùm fit per operationē; consequenter operatio est ratio formalis, vt Deus res contingat, non verò aliqua præuia dispositio.

Ratio 3tiĳ. Quia cum Actus adæquatè diuidatur in Immanentem & Transeuntem: & Transiens adæquatè subdiuidatur in Virtualiter & Formaliter Transeuntem; hinc est, quòd cùm Deus non sit in rebus per operationem Immanentem, quia hæc, tantum *ad intra* est termini productiua; nec etiam sit

in rebus

in rebus per operationem formaliter Transeuntem, quia hæc deberet esse extra Deum, cùm recipiatur in passo, proinde sequitur quòd Deus sit in omnibus rebus per operationem virtualiter tantum Transeuntem, sic quòd inter Deum & effectum ab ipso contractum nihil mediet, sed Deus seipso (quia est sua Actio) effectum producat & illi uniatur. Ideo autem eademmet Actio Immanens, dicitur virtualiter Transiens; quia extra se effectum ponit: & quia seipsâ immediatè effectum producens etiam ipsum Agens effectui vnit, non vnione per informationem, sed per intimam præsentiam seu assistentiam.

Ratio 4ti. Quia Deus non potest esse in spatijs imaginarijs; *Nec Præsentiâ Relatiuâ*, quia hæc vt existat requirit duo extrema inter se distincta; iam autem illa spatia Imaginaria, defacto nihil sunt, licet eadem per imaginationem nostram apprehendamus tanquam aliquid. *Nec Præsentiâ Absolutâ* quâ videretur illam Nihileitatem replere. Quia illa spatia sunt omnino nihil: consequenter ponere Deum in spatijs Imaginarijs est ponere Deum nullibi esse. *Explicatur hoc.* Dum ex illo spatio Imaginario, seu ex illa reali carentia omnis Entis Deus creat aliquod Ens, verè dicitur, quòd tale Ens producat ex Nihilo. Ergo dum ponitur Deum esse in spatijs Imaginarijs, verè dicitur secundùm rem, Deum nullibi esse.

Ratio 5ti. Quia Deum esse in omni loco, vt in loco, effectiuè causaliter, est Deum esse in loco vt in re: quia sic est in omnibus rebus, vt dans eis esse, virtutem locatiuam, & Operationem; iam autem certissimum est, Deum dare omnibus rebus esse, virtutem, & operationem in genere Causæ Efficientis, non autem Formalis.

VII. DEVS est Immutabilis: 2. & Esse omnino immutabile est proprium Dei. *Ratio primi.* Quia est actus purus, excludens omnem potentialitatem. T. q. Est simplicissimus omnem excludens motum. T. q. Est infinitus, cui impossibile est pertingere ad aliquid habendum *Pertingentiâ Informatiuâ*, etsi possibile sit pertingere imo defacto pertingat *Pertingentiâ purè Terminatiuâ*, vt patet in misterio Incarnationis. T. q. Nec moraliter mutari potest: vnde Deus dum de amico hominis fit ei inimicus, *& è Contra*, transit de amico in amicum per puram hominis mutationem, non verò per mutationem sui.

Ratio 2di. Quia in omni creatura est potentia ad mutationem. *Vel* secundùm esse Substantiale; & sic mutantur corpora cælestia. *Vel* secundùm esse locale tantùm: & sic mutantur corpora cælestia: *Vel* secundum ordinem ad finem & applicationem virtutis ad diuersa & sic mutantur Angeli, tam penes electionem de bono in malum, quàm penes locum, in quantum virtute suâ finitâ possunt attingere quædam loca, quæ priùs non attingebant: Vel tandem vniuersaliter omnes creaturæ sunt mutabiles, secundùm potentiam Creâtis, in cuius potestate est esse & non esse earum. Iam autem Deus, nullo ex his modo potest subesse mutabilitati.

VIII. DEVS est Æternus: 2. & Æternitas est duratio: 3. includens rationem mensuræ Diuini Esse. 4. Æternitate rerum Essentiæ ante Existentiam, nullam habent actualitatem Essentiæ: 5. antequam tamen verificetur de rebus, quòd proprio tempore sunt, iam est verum dicere, quòd ab æterno in Nunc Æternitatis sunt. Primum est de fide, in Symb: D. Athan: *Æternus Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus Sanctus.* Et alibi sæpè.

Ratio 2di. Quia Duratio est permanentia rei in esse, per quam notificatur quantùm res in esse conseruatur. Etenim quælibet res tam diu dicitur durare, quàm diu in esse permanere cognoscitur. Hinc interroganti: quare Deus plus durauit, quàm Angelus *Vel* alia temporalia? Respondetur sufficienter. Quia Deus semper est: de alijs autem falsum fuit aliquando dicere quòd sint.

Ratio

Ratio 3tij. Quia Æternitas, verè est vnitas seu vniformitas Esse Diuini permanentis; iam autem de ratione vnitatis est, esse mensuram. T. q. sicut Tempus est duratio secuta ad motum cæli, ideo verè Tempus est mensura motûs cæli, secundùm quòd partes in illo succedunt partibus. Ævum etiam, quia est duratio secuta ad esse permanens Angeli, ideo verè est mensura Angeli. Ergo pariter quia Æternitas est duratio secuta ad esse Diuinum permanens, ideo verè erit mensura Esse Diuini Permanentis; non tamen est mensura realis sed virtualis ideo: quia sicut Essentia Diuina radicat Attributa, vnumque ex alio oritur virtualiter: & sicut Intellectio Diuina specificatur ab intellectione Diuina per modum obiecti, *non realiter*, quia Intellectio & Essentia Diuina non distingvuntur realiter, ast *virtualiter*: nam ad primum requiritur distinctio realis inter extrema, ad secundum verò sufficit virtualis: ita pariter Æternitas est mensura Diuini Esse, ad quod solùm virtualiter consequitur, & virtualiter ab Esse Diuino distinguitur; iam autem Ex actu intellectûs nostri aduenit ratio mensuræ formalis, quia eo ipso, quòd intellectus noster distinguit Æternitatem à Diuino Esse permanenti, hoc ipso fingit Æternitati actualiter conuenire ipsum Ens rationis seu rationem mensuræ formalis.

Ratio 4ti. Quia Essentiæ (non prout sunt in Deo Creatrices Essentiæ, sic enim sunt ipsemet Deus, & ipso Dei Esse gaudent ab æterno) ast prout sunt saltim obiectiuè & quid distinctum ab ipso Deo, *si haberent aliquod esse positiuum* seu quod in seipsis fuerint actu Essentiæ licet non Existentiæ, *sequitur primo*: Quòd Essentia ante Existentiam solùm esset in potentia ad Existentiam, & non esset in potentia ad esse actu essentiam; vnde ante existentiam essentiæ hominis: hæc esset Vera: *essentia hominis est*; ex quo immediatè *Sequitur secundò*: Quòd talis essentia nonpossitcreari, quia illius productio esset ex aliquo; iam autem Creatio est Totius entis ex nihilo adæquata productio. *Sequitur 3tiò.* Tales essentias iam esse entia non *nominaliter* tantùm, sed etiam *participialiter*: nam Res per illam actualitatem habent exercitium quoad essentiam, licet non quoad existentiam. Quæ consequentiæ non sunt admittendæ. Ergo restat dicendum, quòd Res ante productionem neq; actu existunt, neq; actu essentiæ sunt, sed sunt in pura potentia Logica, vt tam quoad essentiam quàm quoad existentiam actu sint. Habent tamen esse æternum, saltim *Negatiuè* nam ab æterno verùm erat dicere *Bis tria faciunt sex: Homo est rationalis*: in quibus prædicatum dicitur essentialiter de subiecto.

Ratio 5ti. Quia *Nunc* Æternitatis infinitum, simul absq; successione omnia tempora claudit: hinc fit quòd licet respectu temporis futuri, res dicantur futuræ, tanquam respectu propriæ & adæquatæ mensuræ, non tamen dicuntur futuræ respectu mensuræ inadæquatæ infinitæ & superexcedentis, sed omnia in eadem sunt præsentes, *non Præsentiâ obiectiuâ*, quià hæc locum habet solum respectu cognitionis: ast Præsentiâ Physicâ, quia Æternitas est Duratio & mensura Physica. Iuxta quam doctrinam ista Propositio: *Antichristus nunc coëxistit Æternitati*: est vera, in quantum Ly. *coëxistit* importat mensuram superexcedentem, non autem mensuram propriam; vnde non est necesse quòd Antichristus existat in se, sed sufficit quòd aliquando sit extiturus; à cuius præstigijs liberet nos

IESVS CHRISTUS.

AMEN.

TVRRIS MIENSIS
PRETIOSIOR MATERIES SONO
Argenteis dum hæc resonat campanulis.
Cæli & Terræ plenitudo, & omnis ornatus eorum
Diuinorum resonant sono Attributorum
Ast materies hæc semper est pretiosior sono.
QVIPPE
DIVINORVM ATTRIBVTORVM PERFECTIO, BONITAS,
MAGNIFICENTIA
Intra Deum, Deus est Entitatiuè
Extra Deum, sonus est Participatiuè.
Tua Hæc est Miensis Turris
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. NICOLAE KROLIK.
S. R. M. Secretarie.
Magnifico non sono sed Virtutis resonans Honore
Quem auxêre gloriosè
Celebres Rożaneccij, Festonij, Gladijszeuicij, Altermaierouijque
Semper in materia virtutis pretiosiores sono famæ Volantis.
PORRO
Augusta Diuinorum Attributorum Magnificentia
Tuæ se distribuendam commisit munificentiæ.
Publicæ Ciuium consulendo Necessitati.
Decies quinquagies Centena millia nummûm erogauerat Imperator Nerua ad Ciuium sustendandam egestatem: Tu priuatum eneruasti integrum ærarium, non rogatus, Regalem re ipsâ non solo nomine imitando Liberalitatem.
Liberalem Tutelaris Tui indutus genium
Obryzum & aurum dispensasti in omnes quos ab aperta liberasti ruina.
Adeo mens Tua aurea est, Vt egentibus aurea Saturni exhibeat sæcula.
Ergo si
Auratos Rhodijs imbres nascente Mineruâ
Indulsisse Iouem perhibent.
Quid ni redeunte nobis tecum an renascente
Publicâ Munificentiâ
Aurea Ætas erit.
FAVENTIBVS SVPERIS. FIAT.

TVRRIS ALEXANDRINA
DIAPHANO TRANSLVCENTIOR
Eruditiſſimo Tuo Hippocratico Pectori
Clariſsime Nobilis ac Spectabilis Domine
D. IACOBE REYNEKIER
Philoſophiæ & Medicinæ Doctor
in Apophoretum dedicatur.
Arcana Hippocraticorum Aphoriſmorum Scientia
A Lucidiſſima Diuinorum Attributorum contemplatione
Originem traxit & vitam
Namque.
ALTISSIMVS CREAVIT MEDICINAM
Et vir Prudens non deſpiciet eam
Hanc Tu ex Hoc Diaphano deductam fonte
eâ calles promptitudine
Vt citra fictam veterum Metempſichoſim
Eruditiſſimam Hippocratis animam poſſidere
Veriùs dicam Nouus Hippocrates videaris.
Euentus rerum documento eſt,
Et experientia Veritatis Magiſtra.
Argos es, naturæ ſcrutando abdita
Nec habet tenebras Anorexia, Lagophtalmia, Satiriaſiſue
Dum ad Tuum Lucidæ Eruditionis euocantur Tribunal.
Ex cuius ſalutari ſententia
Parcas parcere neſcientes Vltra Thulen
Largo proſcripſiſti diplomate.
ERGO
Tuam Deus cunctis Vtilem conſeruet vitam
Vittis Czernieuiciorum, Octauiorum, Zantorum, Borellorum
intertextam honorificentiſsimis,
Quam
Magnus Artaxerxes
In Tuo Anteſignano
Suæ annumerauit Familiæ
Diaphano Tranſlucentiorem.

F E L I X
V I S I O N I S   B E A T I F I C Æ
I V C V N D I T A S.

VISIO Beatifica, possibilis est intellectui creato Humano & Angelico supernaturaliter eleuato, ad intuitiuè & prout est in se Deum videndũ: 2. impossibilis verò ex viribus naturæ: 3. ideoq; ex viribus naturæ non potest dari in homine appetitus elicitus, efficax ad claram Dei visionem. 4. sed inefficax duntaxat & cõditionatus: *Primum* est de fide. iuxta illud Ioannis 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* Tum quia vltima hominis beatitudo cùm in altissima eius operatione consistat, quæ est operatio intellectûs, si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus; *Vel* nunquam beatitudinem obtinebit, *Vel* in alio eius beatitudo consistet, quàm in Deo, quod est alienum à fide; in ipso enim est vltima perfectio rationalis creaturæ, quod est ei Principium essendi: in tantùm enim vnumquodq; perfectum est, in quantum ad suum Principium attingit. T. q. Deus potest quidditatiuè, modo finito attingi ab intellectu nostro, quin adæquatè cognoscatur: quia ob sui eminentiam stat cognosci quoad omnia quæ *formaliter* habet, quin quoad omnia quæ *eminenter* continet cognoscatur.

Ratio 2di. Tum quia 1. ad Timoth 6. Deus dicitur inhabitare lucem inaccessibilem; T. q. Natura intelligens debet conuenire in eodem gradu Immaterialitatis, cum obiecto connaturaliter intellecto; iam autem nulla natura creata vel creabilis potest conuenire cum Deo in gradu Immaterialitatis Actualissimæ: Vnde sicut excessus in immaterialitate qui reperitur inter animam rationalem & naturam Angelicam, impedit quò minus anima naturaliter possit videre Angelum: ita à fortiori ille excessus & summa improportio quæ est inter Essentiam Diuinam & intellectum humanum *Vel* Angelicum impedit quò minus homo *Vel* Angelus naturaliter possit videre Deũ.

Ratio 3tij. Quia appetitus innatus naturæ, solùm potest terminari ad perfectionem debitam inesse naturæ ac proportionatam: ad differentiam Ordinis Transcendentalis, qui datur in Natura etiam ad perfectionem improportionatam; iam autem visio beatifica non est viribus naturæ proportionata: vnde in Natura rationali ad claram Dei visionem, sola datur Potentia Obedientialis. *Ratio 4ti.* Quia appetitus inefficax prout ab efficaci distinctus, fertur in bonitatem rei absolutè & nudè consideratam: vnde appetitu inefficaci & conditionato impossibilia appeti possunt.

II. OBIECTVM specificativum nostri intellectûs, Deus clarè visus ingreditur: 2. tam Motivum: 3. quàm Terminativum: 4. non secundùm vltimam differentiam illius: 5. ast secundùm rationem communem intellectui Humano & Angelico. *Ratio primi* Quia intellectus creatus potest videre & de facto videt Deum Intuitiuè: iam autem Nulla potentia vitalis, potest operari vitaliter, etiam de potentia absoluta, vltra suum obiectum specificativum. *Ratio 2di.* Quia Deus vnitur intellectui creato, ratione sui per modum speciei deseruientis ad sui cognitionẽ: & hoc est mouere intellectum ratione sui. *Ratio 3tij.* Quia Deus prout in seipso, potest cognitionem intellectus nostri terminare. Non tamen Deus clarè visus ingreditur Obiectum specificativum Naturale, quia vt clarè visus non potest viribus intellectûs creati attingi. *Ratio 4ti.* Quia Obiectum distinguens intellectum Humanum ab Angelico, non est Ens quoad substantiam, sed vt terminat talem modum tendendi, per discursum .s. in homine: qui modus repugnat Angelo: iam autem Deus clarè visibilis non continetur sub Ente, vt attingibili per di-

scursum.

ſcurſum. *Ratio ſti.* Quia intellectus Humanus & Angelicus, in *potentia obedientiali* omnino conueniunt, abſque vllo eſſentiali diſcrimine: & in vtroque potentia obedientialis Deum clarè viſum attingit improportionatè, quia in ſe intrinſecè non eſt ſupernaturalis, licet ſpecificetur ab obiecto intrinſecè ſupernaturali: ideoque tam in Angelo quàm in homine, potentia Obedientialis non diſtinguitur realiter à naturali: nam Tunc ſolùm potentiæ ſpecificatæ ab obiectis & actibus realiter diſtinctis, realiter diſtinguuntur, quando proportionatè illos reſpiciunt.

III. SPECIES Impreſſa creata, mediante quâ Beati videant Deum etiam de potentia Dei abſoluta non eſt dabilis: 2. & idem de ſpecie Expreſſa creata aſſerendum. *Ratio primi.* Quia Deus eſt ſumme immaterialis: ac proinde perfectiſſimo modo intelligibilis, ac intimè præſens & vnitus intellectui Beatorum; in quo Eſſentia Diuina ipſamet immediatè ſupplet per ſeipſam vices ſpeciei intelligibilis: iam autem ſpecies intelligibilis creata, ideo requiritur in intellectu creato ad cognoſcendũ aliquod obiectum, quia tale obiectum, *Vel* non eſt præſens: *Vel* non eſt vnitum ipſi intellectui: *Vel* non eſt intelligibile propter ſuam materialitatem T. q. Repugnat Deum fieri proximè intelligibilem per aliquam formam creatam & à ſe diſtinctam, cùm Deus ſit ſua intelligibilitas: Vnde nulla forma creata *Vel* creabilis eſſe poteſt, quæ ſit eiuſdem immaterialitatis cum Deo: alioquin eſſet actus purus; iam autem ſpecies & obiectum debent in eodem gradu immaterialitatis cõſtitui. Eſt autẽ quadruplex grad⁹ immaterialitatis in ſpecieb⁹ intelligibilib⁹. *Primus* eſt ſpecierum viſibilium, repræſentantium ſingularia materialia; quorum Immaterialitas conſiſtit in quadam actualitate ſufficienti ad immutandos ſenſus. *2dus.* eſt ſpecierum à phantaſmatibus abſtractarum, repræſentantium Quidditates & naturas materiales à ſenſibus abſtractas: quarum Immaterialitas conſiſtit in hoc quod per intellectum ab eſſe materiali indiuiduali abſtrahantur. *3tius* eſt ſpecierum intelligibilium, quæ nullo modo à phantaſmatibus ſunt abſtractæ: quales ſunt Angeli quorum Immaterialitas eſt omnino ab eſſe materiali ſeparata, non tamen à potentialitate, nam Eſſentia Angeli diſtinguitur realiter ab Exiſtentia Angeli. *4tus* gradus ſpeciei eſt, quæ omnino eſt ſeparata ab omni eſſe materiali ſimul & potentialitate, eſtq; *Actus* purus; & eius Immaterialitas eſt ſuum eſſe: Et talis eſt Diuina Eſſentia: reſpectu proprij Diuini intellectûs. *Ratio 2di.* Habetur ex prima ratione. Quia ſpecies Expreſſa cùm ſit actualior & perfectior ſimilitudo Obiecti, quàm ſit Species Impreſſa: & quod ſpecies Impreſſa repræſentat in actu primo, idipſum repræſentat ſpecies Expreſſa in actu ſecundo: vtraque autem debet habere conuenientiam & ſimilitudinẽ ſpecificam ſaltem in eſſe intentionali & intelligibili perfectioremque ſecunda, quàm prima.

IV. LVMEN GLORIÆ quod eſt Virtus ſupernaturalis, eleuans intellectum ad elicientiam viſionis Beatificæ, eſt neceſſarium ad videndum Deum 2. & ſecundùm potentiã Dei abſolutã implicat intellectũ creatum elicere viſionẽ beatificam ſine habitu Luminis gloriæ: 3. tranſeunter ſaltim communicato. 4. Nec eſt poſſibilis Subſtantia creata, cuius intellectui ſit connaturaliter debitum Lumen Gloriæ ab illo diſtinctum: 5. Et ſicut implicat Subſtantia creata cuius intellectui, ratione ſui ſit connaturalis viſio beatifica: 6. ita implicat de potentia abſoluta, Subſtantia ſupernaturalis creata.

Ratio 1mi. Quia potentia quæ ex natura ſua eſt inſufficiens ad aliquem actum eliciendum, indiget confortari & eleuari per aliquam Virtutem intrinſecè ac inhæſiuè in ſe receptam; iam autem noſter intellectus, ex ſua natura eſt inſufficientiſſimus & improportionatus ad Deum clare videndum. Ergo in noſtro intellectu neceſſarium eſt lumen gloriæ: quod duo munia præſtat, in viſione beatifica: *primum eſt:* diſponere intellectum creatum

ad vnio-

ad vnionem essentiæ Diuinæ per modũ speciei intelligibilis: *alterum est*, confortare & eleuare intellectum ad eliciendam Visionem.

Ratio 2di. Quia implicat intellectum creatum elicere visionem beatificam, nisi illam in se præcontineat in actu primo: & hæc præcontinentia implicat sine forma creata intrinsecè eleuante & talis forma est Lumen Gloriæ, illudq; solum, est virtus adæquata proxima præcontinens visionem beatificam; (estq; vitale vt Quo,) ac proinde excludens intellectum à ratione virtutis proximæ partialis.

Iam autem hanc formam in ratione luminis gloriæ non potest supplere *Nec* ipse Deus, quia lumen gloriæ est forma Physica se tenens ex parte potentiæ quam informat eidem inhærendo; & talem Physicam informationem non potest supplere Deus, Actus purissimus: sicut potest supplere rationem speciei intelligibilis se tenentis ex parte Obiecti, quia hæc non informationem sed tantùm conuenientiam & similitudinem requirit cum obiecto, & eandem postulat cum illo habere immaterialitatem. *Nec* specialis Dei assistentia: quia si ex tali assistentia deriuatur in intellectum creatũ aliqua virtus intrinseca, ista debebit esse quædam participatio Diuinæ intellectualitatis, ac proinde lumen gloriæ; si verò nulla superaddatur virtus intellectui ex tali assistentia, intellectus semper erit impotens intrinsecè ad eliciendam visionem: *Nec* Concursus simultaneus qui est tantùm in actionem vel effectum, non autem in Causam ideoq; eam intrinsecè non immutat, ac perconsequens non reddit de impotente potentem ad eliciendam operationem ordinis altioris: *Nec* potentia obedientialis proximè & immediatè actiua ac effectuum supernaturalium productiua: quia talis potentia implicat: *Partim* quia esset *Naturalis*, vt pote singulis rebus creatis à natura congenita: & *supernaturalis* quia ad actus vires naturæ excedentes ordinata. *Partim* esset *finita* quia cum Entitate creata cuiuslibet rei identificata: & *Infinita* quia esset productiua cuiuslibet rei producibilis quæ est infinita saltim in potentia.

Ratio 3tij. Quia Lumen gloriæ Diuo Paulo fuit communicatum solùm per modum dispositionis transeuntis. T. q. Omnis qualitas fluida ab intrinseco ex quibus habet esse, permanentiam non petit: iam autem, Omnis qualitas à Deo causabilis, quæ sit principium visionis beatificæ, attentis causis à quibus habet esse, petit permanentiã, .s. *tum* quia ex parte subiecti caret contrario: *tum* quia ex parte obiecti respicit bonum æternaliter satiatiuum.

Ratio 4ti. Quia De ratione Entis supernaturalis simpliciter & absolutè talis est, quòd superexcedat exigentiam & connexionem omnis naturæ creatæ & creabilis; iam autem Lumen Gloriæ ab intellectu distinctum est supernaturale simpliciter. T. q. Dispositio vltima, (siue sit ad formam Physice informantem, siue ad formam solùm intentionaliter vnitam, vt patet in substantia Angelica v. g. Gabrielis, Physice & intentionaliter soli eidem vnita) ad aliquam formam, nequit esse connaturalis nisi subiecto habenti formam; iam autẽ lumen Gloriæ est vltima Dispositio ad vnionem Diuinæ essentiæ cũ intellectu creato, in ratione formæ intelligibilis.

Ratio 5ti. Quia Intelligens, & obiectum connaturaliter & quidditatiuè intellectum, debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis: vt dictum est in Conclusionis tertiæ ratione tertiâ; implicat autem substantia creata existens in gradu Immaterialitatis Diuinæ. T. q. videre Deum sicuti est est: proprium soli Naturæ Diuinæ.

Ratio 6ti. Quia implicat substantia creata, cuius intellectui sit connaturalis visio beata: iam autem substantia supernaturalis creata connaturaliter exigeret visionem beatam. T. q. Ens supernaturale creatum pe-

tit

tit constitui primò & per se per respectum Transcendentalem ad extrinsecum terminum : iam autem talis constitutio pugnat cum conceptu Substantiæ qui est omnino absolutus non respectivus.

V. CAVSA adæquata Visionis beatificæ conflatur ex habitu Luminis Gloriæ & ex intellectu: 2. ad quam visionem intellectus concurrit non solùm *vt Quod*, sed etiam vt Principium Quo: 3. mediatum mediatione virtutis. 4. & immediatum immediatione potentiæ.

Ratio primi. Quia Habitus si esset adæquata causa visionis, posset extra intellectum existens visionen beatificam operari: qnod est implicatorium.

Ratio 2di. Quia in visionem beatificam Lumen Gloriæ influit *vt Quo.* Ergo intellectus Lumine Gloriæ perfusus influit *vt Quod* & principaliter: Et tandem quia influit vt Potentia intellectiua, de ratione cuius est comparari ad actū *vt Quo*, ideo etiam influit intellect⁹ *vt Quo* *Ratio 3tij.* Quia inter intellectū & visionē mediat lumen Gloriæ principians actionem; iam autem, Inter Principiū immediatum & Actionem nihil mediat ab vtroq; distinctum. *Ratio 4ti.* Quia inter intellectum & actionem non interuenit alia media potentia: nā lumen Gloriæ medians, non est potentia, sed virtus potentiæ.

VI. VISIO beatifica entitatiua Quidditatiua non potest attingere Diuinam essentiam sine attributis & Relationibus: 2. nec etiam Intuitiua: 3. videntq; Beati in Diuina essentia creaturas Possibiles & existentes: 4. Mysteria fidei. 5. omniaq; simul vidēt, in verbo à Principio & non successiuè.

Ratio Primi. Quia implicat videri aliquid quidditatiuè prout in se, non visis prædicatis prout in se quidditatiuè & adæquatè competentibus: iam autem De quidditate Diuinæ essentiæ, prout in se, sunt Attributa & Relationes.

Rato 2di. Quia implicat cognitio Diuinæ essentiæ, intuitiua, quæ non sit quidditatiua. Et posset videri Deus vt author naturæ, in patria, & non vt author Gloriæ: quod implicat.

Ratio 3tij. Quia Causa perfectè continens effectū, est sufficiens medium, vt illa cognitâ cognoscatur effectus: iam autem Deus perfectissimè continet creaturas vt illarum causa. Porro quòd Beatus has potius quàm alias videat creaturas existentes, *ideo est*: quià hæ potius quàm aliæ ad illius statum pertinent; hinc est quòd licet videant in verbo omnia Genera & species quæ de facto fuerunt producta: cum ista omnia vt pote ad vniuersi ordinem *per se* pertinentia, desiderent videre rationabiliter, qui appetitus expletur in Patria: attamen non vident omnia indiuidua, partim quià *per accidens* pertinent ad vniuersi perfectionem, partim quia omnia nō pertinent statum vnius Beati.

Deinde quòd Beatus videat has Possibiles & non alias? Causa *formalis* est, maior vel minor intensio visionis. *Effectiua* est, maior vel minor luminis intensio: *obiectiua*: est Diuina essentia vnita per modum speciei.

Cur verò inter Possibiles plures vel pauciores videantur? Ratio est sola Diuina essentia, vt voluntariè vnita per modum speciei. Quòd verò omnes non comprehendantur, *ideo est*, quia ex ipsarum comprehensione infertur comprehensio ipsius Diuinæ Omnipotentiæ: consequenter intellectus creatus deberet pertingere ad illum modum perfectum Cognitionis Diuinæ essentiæ, quæ cognoscibilis est .s. infinitè cognoscere quod est impossibile. *Ratio 4ti.* Quia Beatitudo satiabit omne rationabile desiderium; iam autē sancti rationabiliter desiderant videre clarè in Patria, quæ obscurè crediderunt in via. *Ratio 5ti.* Quia visio beatifica mensuratur Æternitate. Et essentia Diuina gerens vices speciei omnia simul repræsentat: Idq; totū possibile & congruum est statui beatifico: vt videmus in anima Christi, cui in plateis cælestis Hierusalem, cum sanctis perenniter, in sanguine eius triumphale cantabimus Alleluia AMEN.

TVRRIS ARCHELAI.

INTER SYLLÆ SECVRA IGNES

Te Bellatorem deprædicat Sarmaticum
Nobilis ac Spectabilis Domine

D. BONAVENTVRA BRYGANTY

S. R. M. Secretarie
In Coronato Tuo Belligero Capite Bona Ventura
felici omine iam sunt gloriosè completa.
Ignitas Gottorum hydras, Vulcani ferro deiecisti

INTREPIDVS HERCVLES

Lysimacho Audacior
Qui Leonem contra se emissum, immissâ in os ipsius
manu, inuicto animo trucidauit.

VANDALICOS DISCERPSISTI LEONES

Ense Tuo stratos calcabas Victor aceruos
Impositoque Suecus sub pede multus erat.

ADESTE, IO TRIVMPHE! ADESTE

Castrenses, Ciuicæ, Murales, Obsidionales ac Triumphales
Quibus vel Persia Xerxem, Lacedæmonia Cleomenem
Corinthusue Timoleonem exornauerant

GLORIOSÆ CORONÆ.

Quia ergo legitimè decertasti
En Tibi & in ipso Cælo inæstimabilis est reposita Corona.

FELIX VISIONIS BEATIFICÆ IVCVNDITAS

Quâ nemo coronabitur nisi qui legitimè certauerit.
Hinc Te Felicem toties vidimus, quoties publicum adijsti theatrum
Siue Cyneas in Toga, siue Miles in Sago apparuisti.
Feliciter Patriam profuso sanguine beasti, Borgoniorum Prosapiam
nobilem illustrasti, Hyacinthinamque Religiosam Familiam Duobus Filijs Sacro Ordini dedicatis accummulâsti: alijs duobus
Rempublicam exornaturus

SEMPER IN ARENA VICTOR.

Quæ gloriosa Bona dum gratulamur
Meliora Ventura exoramus.

TVRRIS ANTVERPIENSIS
SERICO DIGNA VELO
Augusto CAROLI V. Approbante Calculo
Tuis nunc innectitur Gratijs
Nobilis ac Spectabilis Domine.
D. IOANNES ZALEYSKI
Heroicæ Virtutis
Omnibus admirandæ, solis perfectissimis imitandæ
Verum in Te exhibetur
Exemplar, Speculum ac Forma
Romano Digna Capitolio.
Quippe
FELIX VISIONIS BEATIFICÆ IVCVNDITAS
CLARA IN PATRIA, VELATA IN VIA.
Eorum Tibi indulsit meritorum benedictionem quorum pretium
serico claritatis æternæ æstimatur amictu
HINC QVOQVE
CRACOVIENSES METROPOLITANÆ TVRRES
Ad Venustatem atque Maiestatem
Serico ex Te Velantur Paludamento
Senili Pietate Candido
& Candida Pietate sericato
Aureliano præsens ætas felicior sæculo.
Aurelianus quippe Vestem sericam non habuit
Nunc Cracouia Tota ex Te serica splendescit.
Namque,
Tua Magistratui & Populo probata Amplitudo.
Omnibus commendata Dignitas
Magnorum Nominum Ingentes laudes
Vel adæquat Vel superat.
Tuo quoque Senili concessum solatio
Non inter sericas lanas, sed inter serias Virtutis rigidæ
eruditionis omnigenæ, ac Prudentiæ experimentalis Externarum
Nationum enutritum occupationes
Videre Filium intra Metropolitanæ Curiæ Senes
annumeratum Conassessorem.
Proindeque
Byssus Virtutis & Purpura Honoris
Quam Hyppolitorum, Krokierorum; Suberorumque
pretiosa in Te adaugent ornamenta fœderata
INDVMENTVM TVVM
Totum ex Patrocinio Promouente, ab Altari Hyacinthino
Cælestis Patrocinij
HYACINTHO ODROVASIANO DIGNVM VELO.

SCIENTIÆ DIVINÆ, PRÆEMINENTIA.

SCientia prout dicit cognitionem, certam, euidentem, & ab omni imperfectione liberam, datur in DEO: 2. A Priori suorum Attributorum speculatiua: 3. Omnium creaturarum secundum illorum essentias: 4. Proprietates: 5. Etiam vt in singulari existentium attactiua: 6. Et omnis cognitionis à Posteriori exclusiua. *Primum de Fide.* Quia juxta Psal. 137. *Excelsus Dominus & humilia respicit & alta à longè cognoscit.* Tum quia Deus est summe immaterialis; Iam autem Omne Immateriale, Substantiale, Radicale, est formaliter elicitiuum Operationis vt quo. *Ratio secundi.* Quia ad rationem Scientiæ à Priori, sufficit procedere per Causam Virtualem in Essendo; & Talis est Essentia Diuina respectu Attributorum. *Ratio tertij.* Quia Deus cognoscit omnes Creaturas per Causam Increatam, à qua ipsarum est Dependentia, *signata* Possibilium, *Exercita* à Decreto Futurorum, *& Actualis* Præsentium ab Omnipotentia Creante & conseruante. *Ratio quarti.* Quia Deus ex parte Objecti cognoscit Essentias rerum creatarum, esse Causas suarum proprietatum. *Ratio quinti.* Quia Existentes Creaturæ in singulari, connectuntur cum Decreto. *Ratio sexti.* Quia Scientia à Posteriori, requirit Causalitatem *vel* Objectiuam, *vel* Subjectiuam; & Deus vtriusq; est incapax.

II. MODVS cognoscendi Diuinæ scientiæ est, Quidditatiuè: 2. Intuitiuè. 3. Cõprehensiuè. 4. Distinctè in particulari. 5. Absq; discursu formali. 6. Benè tamen cum Virtuali attingere Objecta. *Ratio primi.* Quia attingit & suiipsius, & aliorum à se distinctorum Prædicata Quidditatiuè prout in se. *Ratio Secundi.* Quia implicat Quidditatiua cognitio Obiecti prout est in se, quæ non sit Intuitiua, seu quæ non terminetur ad obiectum Subsistens & Existens vt est in se. *Ratio tertij.* Quia Diuinæ Scientiæ cognitio, tantæ est perfectionis, s. infinitæ, quantæ est Obiecti infiniti cognoscibilitas. *Ratio quarti.* Quia vltimas omnium attingit Differentias tam specificas quàm Indiuiduales. *Ratio quinti.* Quia Discursus formalis est motus ad ignotum de noto; iam autem Diuino intellectui nihil est ignotum. *Ratio sexti.* Quia non repugnat DEO Virtualis Causalitas vnius cognitionis in aliam; patet in Natura Diuina virtualiter influente in Attributa.

III. OBIECTVM primarium Diuinæ Scientiæ, solùm est Ens Increatum: 2. Formale Motiuum: 3. ac Terminatiuum primarium est Diuina Essentia, vt distincta virtualiter ab Attributis & Relationibus. 4. Materiale secundarium, sunt Entia creata. *Ratio primi* Quia Ens Increatum dat specificationem. *Ratio secundi.* Quia sola Essentia Diuina est species quà intellectus Diuinus fæcundatur ad intellectionē, & cum ipso ex parte principij ad intellectionem concurrit; quod repugnat Attributis & Relationibus. *Ratio tertij.* Quia Essentia Diuina sicut ob infinitatem suam in ratione speciei, & seipsam, & Attributa, & Creaturas, est Diuino intellectui Ratio cognoscendi; ita ob eandem infinitatem in ratione Obiecti Cognoscibilis & repræsentabilis, & seipsam, Attributa, & Creaturas, est Diuino intelle-

ctui Ratio Obiectiua attingendi, fundata in ratione præcontinentiæ. *Ratio quarti.* Quia Creaturæ attinguntur siue Possibiles siue Futuræ siue Existentes, ratione Essentiæ Diuinæ.

IV. VNITAS Diuinæ Scientiæ est maxima. 2. Quæ non multiplicatur Attributaliter, iuxta numerum Scientiarum in Creaturis repertarum. 3. Nec ponenda est in DEO Intellectio absoluta, virtualiter distincta à Lumine Principiorum, Arte, Scientia. 4. Ipsa tamen Scientia Diuina virtualiter distinguitur à Lumine Principiorum. 5. non verò à Sapientia. *Ratio primi.* Quia Scientia Diuina est formaliter in ratione scientiæ infinita. *Ratio secundi.* Quia scientiarum creatarum Ratio formalis *sub qua*, importat Potentialitatem: vnde præcisâ potentialitate quam Abstractio Passiua importat, solus manet in Obiectis conceptus scientiæ communis. *Ratio tertij.* Quia Omnis cognitio Diuina vel est Practica vel Speculatiua; *si primum*: erit formaliter *vel* Prudentiæ *vel* Artis: *si secundum*: necessariò debet esse *vel* Luminis Principiorum, in quantùm attingit Principia Indemonstrabilia; *vel* scientiæ in quantum attingit Conclusiones in Principio. *Ratio quarti.* Quia Objectum Formale Luminis Primorum Principiorum sunt Principia vt immediatè in se cognoscibilia; Objectum Formale Scientiæ est veritas Conclusionis vt ex Principijs deducta; iam autem In DEO distinguuntur Virtualiter, quæ in creatis distinguuntur ex proprijs conceptibus essentialiter. *Ratio quinti.* Quia sola Scientia Diuina considerat Causas altissimas.

V. DIVISIO Scientiæ Diuinæ, datur tantùm ex parte Objectorum materialium. Et alia est *Speculatiua*, quæ versatur circa res merè possibiles, quas Deus cognoscit, sed non facit. Alia *Practica*, quæ cognoscit & causat suum obiectum. Vnde quia DEVS omnia causat, ideò de omnibus habet Scientiam Practicam; de bonis *Positiuè*, de malis formaliter sumptis *Permissiuè*, aut *Impeditiuè*, aut *Ordinatiuè*. Secundò, Scientia DEI alia est *Necessaria*, quæ attingit ipsam rerum *Essentiam*, antecedenter ad liberam determinationem Decreti, ac Voluntatis Diuinæ. Alia est *Libera*, quæ attingit rerum Existentiam, præsupponens pro suo fundamento Decretum Diuinum. 3tiò. Alia est *Simplicis intelligentiæ* quæ versatur circa ea, quæ nec sunt, nec fuerunt nec erunt: Et alia *Visionis*, quæ versatur circa res quæ sunt fuerunt, vel erunt; & subdiuiditur in *Approbantem* quæ supponendo Decretum, fertur in bona: ac in *Reprobantem* quæ fertur in mala & in peccata, quæ supponunt in DEO Decretum Permissiuum, non verò Positiuum. 1. Et inter istas Diuisiones celebrior Scientiæ DEI Diuisio; in Scientiam simplicis Intelligentiæ & Visionis, non destruit vnicum & indiuisibile Attributum: 2. Ipsa tamen Diuisio est adæquata. *Ratio primi.* Quia objectum Scientiæ Visionis, & Simplicis Intelligentiæ est vnum: nam DEVS in seipso tanquam in Obiecto primario priùs Cognito, & tanquam in Causa cognoscit tam creaturas Existentes quàm Possibiles. Tum quia Istæ: *Scientia simplicis Intelligentiæ est causa rerum in primo tantùm & non in secundo actu : Scientia visionis est causa rerum in secundo tantùm & non in primo actu*: important differentiam secundùm intrinseca: *quoad terminationem*; non verò *quoad actualitatem*; iam autem Diuersa actualitas debet desumi ex diuerso Obiecto primario: quod deest in præsenti materia. *Ratio secundi.* Quia inter Obiectum Visionis quod est. *Res existens exercitè* : & inter objectum Simplicis intelligentiæ quod est *Res non existens exercitè* non datur medium.

VI. POSSIBILIVM Scientiam habet DEVS in seipso vt in Objecto primario: 2. Et vt in Causa priùs cognita: 3. Ideòque DEVS non habet creaturarum Possibilium cognitionem in seipsis immediatè, Motiuè, & Terminatiuè: 4. Est tamen

tamen vt Causa Creaturarum ab intrinseco connexus cum ipsarum possibilitate : 5. quam possibilitatem cognoscit, non solùm secundùm esse eminentiale quod habent in ipso, sed etiam secundùm propriam rationem & Essentiam non solùm in communi, sed etiam secundùm proprias & particulares rationes. *Ratio primi.* Quia Creaturæ sunt Objectum secundarium, quod semper attingitur ratione primarij. *Ratio secundi.* Quia Creaturæ continentur in DEO tanquam in Causa. *Ratio tertij.* Quia cognoscuntur per Speciem, immediatè DEVM, & illas mediatè repræsentantem : *Ratio quarti.* Quia DEVS vt Causa creaturarum, non est ab intrinseco indifferens, ad esse & non esse talis possibilitatis ; ideòq; ab intrinseco est cum illarum possibilitate connexus ; iam autem In causa indifferenti *ad esse & non esse* effectûs, non potest Esse effectûs determinatè cognosci. T. q. Summæ Necessitati DEI & Omnipotentiæ non obstat connexio cum possibilibus, excludens dependentiam ; sic v. g. Relatiua, & Natura vt radix, habent connexionem, absq; dependentia; à fortiori Necessitas Entis à se, nec arguitiuè & à posteriori seu mediatè potest dependere à creaturis possibilibus : quia Implicat Dependentia, quæ non sit formaliter effectûs à Causa : & talis respectu DEI est implicatoria. *Ratio quinti.* Quia DEVS suam Omnipotentiam comprehendit, prout est Causa Creaturarum : iam autem non stat Virtutem Causæ comprehendi, non cognitis illius ad quæ se extendere potest effectibus. Tum quia In statu Possibilitatis sunt Creaturæ Entia actu *Nominaliter* secundùm connexionem Prædicatorum Essentialium : non autem *Participialiter* secundùm Existentiam extremorum in aliqua temporis differentia, ideoq; sumpta Nominaliter, habent realitatem Essentiæ vt actu objectiuè in seipsis cognoscantur.

VII. CAVSALITAS Scientiæ Diuinæ Practicæ, originatur à facultate proxima Executiua DEI, Virtualiter distincta ab Essentia : 2. Et indistincta ab Intellectu & Voluntate : 3. Non tamen ista vis proximè productiua consistit formaliter in Intellectu & Voluntate ex æquo : 4. Sed in intellectu : 5. Non secundum sed primum actum dicente : 6. Vnde Actualis productio est formaliter actus Scientiæ Practicæ : 7. Ad quam productionem Scientia simplicis Intelligentiæ concurrit actualiter dirigendo remotè & mediatè : 8. Iam verò Scientia Visionis proximè & immediatè directiuè & effectiuè concurrit : 9no. Ratione cuius ista Propositio : *Ideo res futuræ sunt, quia sciuntur à Deo* : in sensu illatiuo & Causali est vera. *Ratio primi.* Quia in creatis Potentia proximè productiua & Essentia distinguuntur tam realiter ob limitationem, quàm formaliter ex proprijs conceptibus ; consequenter ; translata in DEVM, virtualiter distinguuntur. *Ratio secundi.* Quia facultati proximè productiuæ seu Omnipotentiæ, nequit correspondere Actio aliqua, quæ non sit Actio formaliter Immanens ; iam autem Omnis actus in natura intellectuali formaliter Immanens, est formaliter actus vel intellectus vel voluntatis. *Ratio tertij.* Quia Vis Executiua, est simplex attributum in DEO. Et ipsa Actualis productio, est simplex Actio. *Ratio quarti.* Quia DEVS operatur ad extra per perfectiorem potentiam, tanquam per Principium executiuum, in quo perfectior est præcontinentia creaturarum : iam autem Intellectui formas aliarum rerum in se habenti, talis competit præcontinentia : non verò voluntati quæ fertur ad res. *Ratio quinti.* Quia intellectus prout dicit actum secundum, obtinet essentialiter rationem actûs : & prout dicit actum primum, obtinet rationem potentiæ ; iam autem vis productiua Creaturarum, est per modum Potentiæ. *Ratio sexti.* Quia formaliter est actus intellectus Practici s: Imperium, prout est erga agibilia. *Ratio septimi.* Quia sicut in artifice creato scientia artificis, electionem regulando, & modum operis factibilis ostendendo,

dendo, concurrit remotè directiuè; ita in DEO Scientia simplicis Intelligentiæ, concurrit ad productionem creaturarum remotè, consiliando. *Ratio octaui.* Quia Imperium concurrit ad productionem Creaturarum : iam autem Imperium, est Scientia visionis. Imò perfectior Modus directionis est DEO attribuendus : & talis habetur per Scientiam Visionis. *Ratio noni.* Quia Scientia Diuina est Causa futuritionis rerum : quarum est mensura, ab illisq; independens. Diuo attestante Augustino 15. de Trinitate cap. 18. *Vniuersas suas Creaturas spirituales aut corporales, non quia sunt ideo nouit Deus, sed ideò sunt quia nouit. Non enim nesciuit quæ futurat creaturus : quia ergo sciuit, creauit, non quia creauit sciuit.*

VIII. FVTVRORVM Còntigentium Scientia datur in Deo, secundùm illud Psalmi 138. Intellexisti cogitationes meas de longè & omnes vias meas præuidisti. Iam autem MEDIVM Vnicum & adæquatum, in quo Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia, est Decretum Diuinum prædeterminans eorum futuritionem. 2. Alterum Medium, est eorundem contingentium Physica & realis, Præsentia in Æternitate, & non solùm Obiectiua & Intentionalis, ratione Præscientiæ. 3. Tertium tandem Medium, est Ipsa Causa secunda prout à Deo prædeterminata. *Ratio primi.* I. Quia profitente S. Scriptura *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine* Isa. 26. & Ezech. 36. *Faciam vt in praeceptis meis ambuletis* Vnde D. Aug. de Pers. cap. 17. ait *Si Deus ea daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit.* Quæ illatio non esset bona si præscientia nostrorum operum non esset fundata in Prædestinatione seu Prædefinitione ac Decreto Voluntatis Diuinæ 2. T. q. Deus etiam peccata cognoscit futura *in Decreto Positiuo,* quo statuit positiuè concurrere ad entitatem & bonitatem Physicam actuum malorum ; iam autem *in Decreto Permissiuo* quo vult eorum permittere deformitatem & malitiam, seu denegare Auxilium efficax ad vitandum peccatum prædictam cognoscit deformitatem : Ex primo Decreto sequitur Entitas & bonitas Physica, consecutione physicâ : ex secundo, sequitur eius malitia & deformitas, consecutione Logicâ & illationis ; sicut Annihilatio Creaturæ sequitur ex denegatione Concursûs Diuini Conseruatiui. *Ratio 2di.* Quia physica & realis futurorum Contingentium Præsentia in Æternitate, est necessaria : *tum* vt scientia quam habet Deus de illis, sit Intuitiua ; ad differentiam Abstractiuæ requirentis solam Obiectiuam seu Intentionalem præsentiam & existentiam obiecti : *tum* vt Scientia Diuina sit inuariabilis ; aliàs Deo incipiente videre res in tempore vt sibi *præsentes,* quas ab æterno vidisset tantùm vt sibi *futuras,* transiret Scientia Diuina de Abstractiua in Intuitiuam, ac perconsequens mutaretur, iuxta Obiecti transitum mutabilem. *Ratio 3tij.* Quia Decretum Diuinum & Physica Præmotio, quæ est huius Decreti executio & Causalitas, habent in ratione medij ducentis infallibiliter in cognitionem alterius, *tum* Prioritatem naturæ & Causalitatis, quia non supponunt sed antecedunt præuisionem futuri consensûs quem causant : *quàm* Necessariam connexionem cum effectu contingenti, quia indifferenter non possunt componi cum consensu vel dissensu nostræ Voluntatis liberæ, sed determinatè cum ipsorum Vno, ad quod dantur : *tum* quia ipsa Æternitas *ratione infinitatis* continet omnem durationis mensuram, cóextendendo se cuilibet temporis differentiæ, Virtualiter in se præcontentæ : *ratione indiuisibilitatis,* secundùm se tota adunat omnia : *ratione simultatis* omnibus durationibus succedentibus absq; successione, cóexistit. Porro Diuinorum Decretorum salutarem ab intrinseco efficaciam vt consequamur, dignetur præstare IESVS CHRISTVS. Cui Honor & Gloria in sæcula sæculorum Amen.

TVRRIS ADERENSIS

PRIMA CÆLESTEM AVDIVIT CONCENTVM

O Benedicta Turris!

Iuxta quam Angeli Natum Saluatorem Paſtoribus annunciârunt
Supra quam Multitudo Cæleſtis GLORIA IN EXCELSIS occinerunt.
Intra quam Sancti tres Paſtores ſepeliri meruerunt.

Hæc Glorioſa Turris
DIVINÆ SCIENTIÆ
Admirabilem demonſtrat Præeminentiam.
Quia VERBI Ineffabilis Vagientem nobis profert Humanitatem.
Hac cum Turri
Diuinæ Scientiæ Præeminentia.
Amabiliſſimaque Nati Saluatoris Humanitas
Tibi cedit in xenium
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. STANISLAE MICHAEL SEGNITZ
Eques Aurate. S. R. M. Secretarie.
Hæc vnica Turris, firma eſt Tuæ ſtantis Laudis ſtatio
Ad quam Tuus Auratus dum excubat Eques
In carne apparentis Dei inauguratur Secretarius.
Sic Tibi creſcente merito creuit & Dignitas.
Quandoquidem
Archiconfraternitatis Roſarianæ Prior authoratus
IESV ET MARIÆ
Promouendæ incumbis zelo & exemplo Deuotioni.
Vileſcunt terreſtria quibus Cæleſtium Roſarum Odor & Amor Curæ.
Conſul in Concilijs, Zeleucus pro Tribunali celebraris.
Tuæque Martiæ Fidelitati concredita Ciuium ſalus
Patriæ Te magnum indigitauit Curtium.
Relucet in Te antiqua Senatûs Maieſtas, & Iudicum Authoritas modeſta.
Quanquam & id Tuæ accedit Gloriæ ab ea Te deſcendiſſe generis familia
Quæ Vetuſtate cõmendabilis, illuſtrem eſt largita ſanguinem
Bartoſzewſcyorum, Sergierorum, Słowikowſcyorum, Gołeccyorum,
Cantelliorum, Konradorumque.
indiſſolubilibus nexibus fæderatum.
Verùm has terreſtres curas, gloriamque eorum minimè curas.
IN IESV ET MARIA
Solius Tibi Turris Adarenſis ſufficiat Scientia.
Tibique ad gloriam & perennitatem adſit ſemper
TVRRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI.

34

TVRRIS FRANGIPANVM ROMANA
SEPTEM CORVSCA LVCERNIS
Lucis in Te Vibrat radios
DVM
SCIENTIÆ DIVINÆ PRÆEMINENTIA
Tuo infertur Domicilio.
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. CASIMIRE BONIFACI CANTELLI.
S. R. M. Secretarie.
Porro
Diuinæ Scientiæ quæ omnem faciat intellectum
Distributor Communicator ac Frangipanis
SOLVS EST SPIRITVS SANCTVS
Inextinguibilibus septiformium munerum Lucernis
Vniuersam illuminans Ecclesiam.
TVÆ QVOQVE VIRTVTI
Non medietatem fracti panis, sed integram Benedictionis
suæ irradiantis concedit buccellam.
Septem Q. Metellus sibi concedi exoptauerat Dona
Vt omnem ipse in compendio sui haberet felicitatem.
Quæ Tu abundantiori recipis alueo
Ampliori septiformium donorum gaudens participio.
Has fouet & auget in Te, Diuinæ Liberalitatis Donationes
Immaculatissima ac Liberalissima.
DEI GENITRIX MARIA
Cuius Rosarianæ Archiconfraternitatis
Antesignanus & Prior Electus.
Totum Te adaugendis dedicâsti Marianis honoribus
& Prior in Ecclesia & Consul in Curia simul.
Duplici hâc redimitus Lauro
Moribus, Iudicio, Authoritate, ex Virtutum regula effloruisti.
Et cùm omnium Ciuium animos Tibi introscripseris
Arctiùs totam Segnitzyorum famam, nomen, & meritum hæreditâsti,
Etiam Natiuæ Virtutis, Donorum, ac Pietatis.
Splendentes Filiorum ac Filiarum constituendo Lucernas.
In quibus Ieremianum sub Bonifacio Patre compleatur promissum
Ex infallibili Diuinæ Scientiæ erutum oraculo.
NON DESINAM EIS BENEFACERE
Deo Gratias.

VOLVNTATIS DIVINÆ
LIBERTAS, EFFICACIA, SANCTITAS

VOLUNTAS datur in Deo, ſecundùm fidem Catholicam: 2. quæ prout in actu primo, virtualiter diſtinguitur ab actuali volitione: 3. ipſaque actualis volitio non eſt de Metaphyſica conſtitutione naturæ Diuinæ. *Primum* habetur ad Rom. 12. *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei*. T. q. Omne intelligens non ſolùm Ens, ſed etiam bonum, eſt volens: vnde implicat natura intellectiua Entis, & non intellectiua boni conuenientis ipſi. T. q. Agens propter finem, eſt volens finem; iam autē Deus eſt agens propter finem. *Ratio 2di*. Quia voluntas Diuina in actu primo intelligitur vt facultas proximè volitiua, & immediatè potens *Virtualiter* influere in volitionem: cuius diſtinctio virtualis actualis (ſicuti actualis generationis ad intra à potentia generatiua) nullam dicit imperfectionem. *Ratio 3tij*. Quia Metaphyſicè dicitur illud conſtituere aliquam naturam, quod primò in illa intelligitur cum fundamento in re: iam autem volitio actualis præſupponit cognitionem. T. q. Natura Diuina adæquatè communicatur formaliter ad intra, non communicatâ volitione formaliter. T. q. Cognitio & volitio Diuina æquiualent cognitioni & volitioni in creatis, quæ ſe præſupponunt & realiter inter ſe diſtinguuntur: in Deo realiter identificantur, & ſolùm ob virtualem diſtinctionem, verificationem prædicatorum Contradictoriorũ ſuſcipiunt. ſ. quòd *Filius per cognitionem procedit, & non procedit per volitionem, ſicut Spiritus Sanctus*. T. q. Intellectus noſter imbecillis, ſumpto fundamento ex Eminentia perfectionis Diuinæ, diuerſis conceptibus, *Intellectionem* vt actum primarium, *Volitionem* vt actum ſecundarium (iuxta illud: *Nil volitum quin præcognitum*) concipit; ideoque ob virtualē diſtinctionem volitionis à Cognitione primariò intellectà in Deo, Diuina volitio non eſt de Metaphyſico Conſtitutiuo Naturæ Diuinæ.

II. OBIECTVM formale voluntatis Diuinæ eſt ſola Bonitas Increata. 2. tam motiuum: 3. quàm Terminatiuum: 4. quam Bonitatem diligit ipſa voluntas Diuina neceſſitate ſpecificationis & Exercitij: 5. Obiectũ materiale ſecundarium ſunt creaturæ, futuræ aut Exiſtentes (quas liberè amat) 6. non verò Poſſibiles: 7. Nec Deus circa Obiectum ſecundarium *Vel* vt exercitè exiſtens, *Vel* vt dicens ordinem ad Exiſtentiam poteſt omnem actum voluntatis ſuſpendere Priuatiuè, aut Negatiuè: 8. nec etiam aliquid poteſt in tempore de nouo velle, aut deficere à volitione actûs ab æterno habiti. *Ratio primi*. Quia ſola Bonitas Increata, vt pote actus puriſſimus, habet perfectam proportionem & commenſurationem in ratione obiecti cum voluntate Diuina. *Ratio 2di*. Quia ſola bonitas Increata eſt finis Diuinæ voluntatis: iam autem Obiectum motiuum voluntatis, eſt finis. *Ratio 3tij*. Quia ſola Bonitas Increata *per ſe* priùs attingitur: & cætera bona creata & merita noſtra, non prout ſunt in ſe, ſed prout præcontinentur in Bonitate Diuina, attinguntur à voluntate Diuina. *Ratio 4ti*. Quia Bonitas Diuina & eſt ſpecificatiuum voluntatis Diuinæ: & eſt eidem applicata, per claram, intuitiuam, & comprehenſiuam cognitionem, ipſique identificata. *Ratio 5ti*. Quia ſi voluntas Diuina non liberè ſed neceſſariò amaret Creaturas futuras aut Exiſtentes, ab æterno mundum produxiſſet: nam Potentia Dei Executiua, eius efficaci voluntati reſiſtere non poſſet: T. q. Bonitas Diuina quæ amatur à Deo vt finis, eſt independens in ſui ſubſiſtentia à creaturis. *Ratio 6ti*. Quia Creaturæ poſſibiles non poſſunt amari etiam Amore Simplicis Complacentiæ, nam carent Exiſtentiâ & ordine ad illam in ſtatu poſſibilitatis; in quo ſolùm ſunt bonæ aptitudinaliter, ſecundùm quid, & *Speculatiuè*: iam autem Obiectum voluntatis debet habere Exiſtentiam *Vel* Actualem *Vel* dicere ad illam ordinem pro-

ximum

ximum, & *Practicè* terminare actum simplicis Complacentiæ, & non solùm habere perfectionē in ordine *ad se*, connexionem prædicatorum essentialium importando: sed in ordine *ad appetitum*, eundem mouendo, finalizando, & in alia sese diffundendo. *Ratio 7mi.* Quia Deus tam volitionem quàm nolitionem suspendendo *Priuatiuè*, circa aliquod obiectum secundarium quod cognoscit, remanet indeterminatus; nec actum vitalem exercet circa tale obiectum: quorum utrumque dicit imperfectionem: si autem *Positiuè* ipsam Suspensionem Vellet aut imperaret (si propriè imperari potest) adhuc tunc nil vult resoluere circa tale obiectum cognitum. *Ratio 8ui.* Quia quòd voluntas incipiat aliquid velle de nouo, aut à volitione desistat, solū prouenire potest: *Primò* ex hoc, quòd aliquod bonum incipiat esse ;sibi conueniens, quod antea nec bonum nec conueniens erat: *2dò* ex hoc, quòd de nouo bonum agnoscat, quod antea non cognoscebat; iam autem vtrumque horum arguit in Deo physicam mutationem.

III. LIBERTAS & Immutabilitas in voluntate Diuina conciliantur per hoc, inquantum Diuinæ voluntatis actus liber, nullam superaddit ad perfectiones Diuinas necessarias perfectionem aut Entitatem, ratione ab illis distinctam: 2. sed tantùm ipsammet terminationem ratione distinctam in ratione terminationis. 3. ac proinde Actus liber Dei consistit in actualitate actus necessarij vt ad creaturas liberè terminata: *4.* Quamuis etiam benè admittatur sententia docens, quòd Actus liber Dei vt distinguitur à Necessario, constituatur per summam independentiam à creaturis, & infinitum Dominium supra illas, quod habet Diuina volitio, connotando summam subiectionem & dependentiam creaturarum ab ipso, quas non prout obiecta, sed prout effectus sibi inadæquatos respicit. *Ratio primi.* Quia cùm Libertas exigat indifferentiam, ratione cuius res ita sit, vt possit non esse: & è contra, Immutabilitas exigat Necessitatem, ratione cuius res ita sit, vt non possit non esse; hinc est quòd dum Actus liber potens deficere nullam superaddit perfectionem necessariam, stat Immutabilitas Diuina, in se inuariata: nam Actus liber ex proprio conceptu superaddit ad perfectiones Necessarias id tantùm, quod potuit Deo non conuenire; iam autem nulla perfectio aut Entitas potuit Deo non conuenire. *Ratio 2di.* Quia constitutiuum Decreti liberi potuit deficere Deo, secundùm aliquam rationem intrinsecam, (id est secundùm quàm constituit Deum intrinsecè creaturas *Vel* existentes *Vel* futuras volentem, *Ecce Libertas*) sed non sub conceptu intrinsecæ perfectionis aut entitatis. *Ecce Immutabilitas.* Ergo tantùm sub conceptu intrinsecæ terminationis: quæ Terminatio intrinseca est defectibilis, separabilis, *Terminatiuè:* est inseperabilis & indefectibilis *Entitatiuè:* concipiturque à nobis ad instar habitudinis, non tamen est habitudo propria Transcendentalis, aut Prædicamentalis. *Ratio 3tij.* Quia Actus liber exprimit perfectionem ex parte actualis formæ Deum constituentis volentem liberè: & ista forma est actus Dei necessarius, prout ad creaturas liberè terminatus; ideoque non quoad Entitatem, sed præcisè quoad solam terminationem ad creaturas, potest deficere; quia ex conceptu terminationis, prout est exercitium Diuinæ voluntatis vt liberæ, solùm reducit Diuinam Voluntatem, de actu primo ad actum secundum, non *Entitatiuum* (ecce immutabilitas) sed *Terminatiuum & denominatiuum.* Ecce libertas. *Ratio 4ti.* Quia iuxta hanc explicationem Libertas consistens in actu necessario, dicente supremum Dominium supra creaturas: *Et seruat* rationē actûs puri, quia respectu actûs necessarij, nulla datur in Deo potentia passiua, ideoque per actū necessarium Deus mutari nequit. *Et seruat* Indifferentiam (non Priuatiuam quæ imperfectio est) sed obiectiuam, Actiuam, & Dominatiuam supra obiectum creatum, à quo cùm sit independens, ita potens est creaturas immutare, quòd eas potest non immutare: ideoque actus necessa-

rius

rius respectu creaturæ est actiuè indifferens indifferentiâ perfectissimam libertatem constituente: iam autem respectu Dei vt pote proprij Subiecti, est necessarius passiuè. Et licet sit necessarius in Deo, & tamen ob sui eminentiam absque omni virtualitate sibi superaddita, liberè creaturas immutat: *Sicut* Personalitas Verbi necessariò terminans Naturam Diuinam, potest terminare naturam creatam *Vel* non terminare, sine aliqua sui additione *Vel* diminutione etiam Virtuali.

IIII. EFFICACIA Diuinæ voluntatis prout prædeterminantis ac Physicè præmouentis stat cum libertate creata. *Ratio est.* Quia voluntas Diuina ex quo est efficacissima; causat nostræ voluntatis Substantiam actûs *vt Velit*; ex quo est vniuersalissima, causat modum actûs *vt liberè velit.* T. q. Deus mouet vnumquodque secundùm proprietatem eius: Ergo quia voluntatis nostræ proprietas est, sese determinare & ad agendum applicare per deliberationem & electionem; ideo Deus præmouet voluntatem nostram ad hoc vt deliberet, & per propriam Electionem se determinet. T. q. Libertas in hoc consistit, quòd voluntas agat, non *Quia est*, sed *Quia Vult* propriâ electione, cuius est domina, inquantum potest de illa disponere *Vel* retractando, *Vel* suspendendo, *Vel* continuando prout libuerit: iam autem Deus hoc Dominium *Secundum liberũ* semper exerceri facit, suo Dominio *Primo libero*, quod habet super omnes nostros actus. T. q. Decretum & Præmotio efficax, conseruat indifferentiam Obiectiuam iudicij proponentis obiectum vt amabile indifferenter: ideoque stante indifferentiâ obiecti, voluntas ad illud præmota amandum, adhuc indifferenter tendit in illud & cum omimoda libertate. Proindeque Efficacia Decreti Diuini, ac Physicæ Præmotionis (quæ est executio Decreti efficacis) his conciliatur distinctionum explicationibus cum libertate creata.

Stante Decreto Efficaci & Actuali Præmotione efficaci coniunctâ cũ Voluntate mea

Non possum resistere Decreto & Præmotoni efficaci.	Possum resistere Decreto & Præmotioni efficaci.
1. *Potentiâ Consequenti* quia hæc attendit ad omnes indiuiduales circumstantias actûs.	1. *Potentiâ Antecedenti* quia hæc attendit ad actũ absolutè, & à circumstantijs præcisum.
2. *In sensu Composito:* quia ob intrinsecam Decreti ac Præmotionis efficaciam cum mea voluntate coniunctam, actus infallibiliter fiet, respectu cuius non habeo potentiam dissentiendi quæ simul coniungatur cum actuali dissensu.	2. *In sensu Diuiso:* quia stante actualiter efficacissima Præmotione in mea Voluntate habeo potentiam proximam ad dissentiendum, non coniunctam cum actuali dissensu, ideoque diuisam ab actuali dissensu.
3. *Necessitate Consequentiæ:* quia Præmotio efficax Metaphysicè essentialiter *Vel* quocunque alio modo connexa cum Voluntate mea, necessariò & infallibiliter inducit in mea Voluntate *Determinationẽ*: quia est Decreti Diuini efficacissimi participatio & Executio.	3. *Necessitate Consequentis*; quia istamet Præmotio efficax connectitur cum Voluntatis meæ Determinatione vt *liberè Ponenda*: ideoquè necessitate Consequentis possum resistere, quia Consequens operatio ex Præmotione efficaci, essentialiter requirit vt sit libera:
4. *Potentia simultatis:* quia stante actuali Præmotione, connexa cum mea Voluntate, non est in me potentia *ad simul* ponendum consensum & dissensum: etenim Consensus & Disensus Contradictoriè opponuntur.	4. *Simulate Potentiæ.* quia stante Prædeterminatione ad Vnum actum stat *simul* potentia ád oppositum: quæ non ex vi suorum prædicatorum, sed solùm ex suppositione, ad actum exercitè ponendum impossibilitatur.
5. *Effectiuè, Originatiuè, Primo Dominio ac Directè:* quia Præmotio de sursum est à Patre Luminum, cuius potestas magis in manu sua possidet corda nostra quàm nos eadem possideamus, ex D. Augustini sententia.	5. *Terminatiuè, Dominio creato, secundario ac Indirectè:* quia voluntas mea est perfecta Domina Dominio creato, non Principij qui est solus Deus, sed Termini Præmotionis .s. illius actûs ad quem datur.

Ac proinde stante actuali Præmotione, potest Voluntas illum actum suspendere reuocare, interrumpere ad nutum suum: non tamen rumpit, reuocat, suspendit, quia cum Præmotione data ad positionem actûs, isti dissensus actuales sunt incompatibiles. Si tamen Voluntas nostra actualiter suspensionem vellet, id haberet ex alia Præmotione.

Itaque uniuersaliter Præmotio Physica mouet creatam Voluntatem, non solùm vt agat sed etiam ita agat, quòd possit non agere, cùm descendat à Deo tanquam à Prima Radice Libertatis nostræ præcontentæ eminenter in ipso: ideoquè Deus est *Primum Principium extrinsecum*, intimè causans voluntatis nostræ Determinationem: & voluntas nostra est *Principium secundum intrinsecum* huius Determinationis: vnde influxus Diuinus quantumcunque

antece-

antecedens, est influxus radicis ipsius Libertatis, habens pro effectu ipsum liberum, inquantum liberum. Et has quinque distinctiones ex D. Damasceno & Doctore Angelico sumptas, in sensu Catholico, Theologico, Thomistico, explicatas, qui aliter interpretatur, intelligit, ac explicat, talis nec primis labijs doctrinam Thomisticam attingit.

V. SANCTITAS Diuinæ voluntatis stat cum Decreto efficaci Dei & cum Physica Præmotione prædeterminante ad materiale peccati: *Ratio est.* Quia Materiale peccati continetur intra obiectum adæquatum voluntatis Diuinæ. Nam causatur Physicè ab Omnipotentia Diuina, quia estEns ab alio: 2. gaudet bonitate Physica & naturali: 3. est reducibile in Deũ tanquam vltimum finem: 4. terminat actũ ComplacentiæDiuinæ: 5. ac tandẽ vult Deus materiale peccati voluntate absolutâ & efficaci, tanquam Prouisor & Motor *Generalis*, non verò *Specialis*: Iam autem Formale peccati seu Malitia formalis non continetur intra obiectum voluntatis Diuinæ propter oppositas rationes. Ergo licet materiale peccati & formalis malitia sint inter se inseperabiliter connexa, quia tamen vtrumque non continentur intra obiectum voluntatis Diuinæ, nec ab Omnipotẽtiæ Diuinæ causalitate inseperabiliter attinguntur, hinc est quòd Deus potest prædefinire materiale peccati, sub ratione Entis & actûs, & non prædefinire nec causare malitiam formalem; *Sic bonum & verum*, sunt inter se summè identificata; & tamen Intellectus attingens *verum*, non se extendit ad *Bonum* extra Sphæram sui obiecti adæquati positum. *Sic* Concursus simultaneus, qui est ipsemet actus voluntatis, prout est à Deo simul operante, connectitur cum actu, cum quo immediatè coniungitur ipsa malitia peccati; & tamen Deus cuncursu simultaneo concurrendo ad materiale peccati, non concurrit ad illius formale *Nec remotè & mediatè* quia Deus suâ prædeterminatione efficit, vt homo ponat materiale peccati solùm quoad entitatem, actualitatem, & vitalitatem, non verò prout materiale peccati fundat aut connotat priuationem rationis, & legis, *Vel* vt dicens ordinem transcendentalem ad illã *Non quasi violenter & coactè* veluti tractus à voluntate creata, ne desit muneri causæ primæ, aut violet iura libertatis creatæ; *partim* quia Deus etiam tractus & determinatus à voluntate creata, non potest causare id quod non continetur intra obiectum adæquatum Diuinæ Omnipotentiæ; *partim* quia quod est ab aliquo solùm permissiuè, non dicitur ab eo propriè causari; *partim* quia Qui causat aliquid, ad quod sequitur aliud infallibiliter, *consecutione Physicâ & causalitatis*, non dicitur se habere permissiuè ad illud; iam autem dum ponitur materiale peccati, sequitur ad illud infallibiliter malitia paccati *consecutione Logicâ & illationis:* sic ad motum vitalem tibiæ curuæ, sequitur infallibiliter claudicatio, & tamen anima causans illum motum, est non positiua sed solùm permissiua causa talis defectûs: *partim* quia, ideo Deus non potest *moraliter* mouere ac prædeterminare hominem ad materiale peccati; quia alias illum tentaret, seduceret ac implanaret Ergo ideò Deus potest *Physicè* mouere & prædeterminare ad materiale peccati, quia ipsum non tentat sed solùm applicat ad producendam Entitatem: præscindendo ab omni morali imperfectione, à qua non præscindit Moralis præmotio ad materiale peccati: vnde Motio Physica licet sit maior Morali *intensiuè* id est efficacior, est tamen minor *extensiuè*, quia sistit intra ordinem Physicum, nec se extendit ad lineam moris, ad quam se extendit motio moralis: consequenter secundùm nullam formalitatem potest Deus dici concurrere ad formale peccati, concurrendo ad materiale; proindeque stat eius summa sanctitas cum Præmotione Physica concurrente ad materiale peccati.

VI. ANTECEDENS Voluntas, versatur circa bonum creaturæ absolutè secundùm se consideratũ. CONSEQVENS verò circa idemmet bonum prout circumstantijs indiuidualibus vestitum. 2. Vultque Deus Voluntate Antecedenti saluare omnes homines, etiam post Adæ lapsum. 3. estque formaliter in Deo. 4. ac dicitur Conditionata, non quia expectat consensum à libero creato arbitrio, sed quia importat actum conditionatum quo Deus vellet salutem omnium hominum si hoc non repugnaret ordini Diuinæ Prouidentiæ, manifestationi suæ Iustitiæ, & Bono generali totius vniuersi. *Ratio primi* Quia Bonum creaturæ absolutè consideratum est prius seipso prout circumstantijs particularibus vestito. *Ratio 2di.* Quia (vt ait. D. Paulus 1. ad Timot. 2.) vnus est Deus omnium, vnus est mediator Dei & hominum, qui dedit semetipsum pro omnibus. *Ratio 3tij.* Quia Voluntas Antecedens est voluntas Beneplaciti, quæ formaliter reperitur in Deo *Ratio 4ti.* Quia ad Prouisorem vniuersalem pertinet permittere aliquos deficere ab vltimo fine, eosdem suæ Iustitiæ Punitiuæ rigori subijciendo; à quo rigore liberare nos dignetur Misericordia Dei & Passio IESV CHRISTI. AMEN.

20

TVRRIS SYNARVM FVCHENSIS.

ROMANORVM PRÆSTANTIOR ÆDIFICIIS
Quadraginta è solido lapide excisis sustentata Columnis.
Dum timet à Vetustate ruinam
Conseruandi Nominis à Te expoſcit Consilium
Clarissime Nobilis ac Spectabilis Domine.

D. STANISLAE WOSINSKI

Philosophiæ & Medicinæ Doctor ac Professor.
En Quantus Tibi Delatus Honor
Quem
DIVINÆ VOLVNTATIS EFFICACIA
Omnia Creantis & Conseruantis
(*Quomodo enim aliquid potuisset permanere*
nisi Tu DOMINE Voluisses, Sap. 11.)
Præseruandæ, Conseruandæ, & Restaurandæ Humanæ Vitæ
in Peritissimum ordinauit Coadiutorem.
Habeat Roma, Antonios Musas, Cornelios Celsos,
Archagathosue, & Vectios Valentes,
Nostra in Te Vno complectitur Romanos Sarmatia.
Post reportatas de rigida Stoâ Laurus
Vt augustam ingenij diffunderes magnitudinem
Patauinum conscendisti Medicorum Amphitheatrum
Omnium saluti non proprio Honori consulturus,
Ergo
DIVINÆ VOLVNTATIS ASPIRANTE INFLVXV
Totus Epilimius, Amaracinus, Cynocephaleusq;.
Totus & Apyron, Patauino declaratus calculo,
In Alma Iagellonis Vniuersitate
Medicæ Facultatis Doctoribus & Professoribus
(Cuius interea Decanum agis meritissimum)
adscribi promeruisti
SAPIENTIÆ COLVMNA.
Collabentem toties Principum sustentâsti Vitam
Eodem quo vita æstimandus pretio.
Antonianos erexisti Colossos
Solidæ Belzouiorum, Pastoleciorumque Virtuti Pares.
Et dum solidissima desideratissimæ Vitæ omnibus præscribis Consilia
IPSE PYLEAM RECIPE ANNORVM SERIEM.
FAVENTE DIVINA VOLVNTATE.

TVRRIS ANTONIA
TEMPLI ET VRBIS PRÆSIDIVM.

Tuæ famulatur Virtuti
Nobilis ac Spectabilis Domine.
D. CHRYSTOPHORE KRAVZ
S. R. M. Secretarie.
Aurea hæc in fastigio ad Regalis Honoris Maiestatem,
Marmorea, ex quadratis Lapidibus ad perennitatem,
Ferrea ac armis instructa, ad hostium terrorem.
Totaque Facta Thesaurus
Ad Sacrum Stolæ Aaronicæ, supremæ Authoritatis indumentum
ac Ineffabilis Nominis DEI in aurea lamina exsculpti
Securam conseruationem.
Et quis par Tanto Oneri & Honori?
SOLVS CHRYSTOPHORVS
In pietatis nomine, sine ponderis fatigatione es Baiulus Christi,
Stolam Aaronis conseruas, Sacræ Marianæ ædis Conseruator
Aureo fulges fastigio, inter Regalium Amicorum
SERENISSIMI ET INVICTISSIMI IOANNIS III.
Protectrici adscriptus Cathalogo.
Marmoreum Te declaras, ex quadratis solidæ virtutis
præclaregestis: ex contexturis Perutorum, Puczkorum, Celestonumque fæderatis
ex Sacrarum Peregrinationum laboribus
pijssimè susceptis, salutari Perennitati consecratis,
Ferreus an sis, qui & inimicis parcere nosti, solà animi beneuolentiâ
subiectis, & sine ferro deuictis,
Areopagi sacrum appello Iudicium.
Ad compendium Gloriæ hoc vnicum sufficit Tibi
Magni Parentis Tui Imitari Virtutem.
FORTISSIMVS ILLE EXTITIT CHRYSTOPHORVS.
Ad Sacras Diuinæ Voluntatis efformatus leges
Cuius Efficaciam non fregit Gotthicus Leo.
Libertatem non coarctauit Hostilis obsidio.
Sanctitatem non contaminauit tunc prædominatrix hæresis externa.
Qui in humeris suis Totam Vrbis molem inter Vandalicos fluctus dum
baiularet, Maximi Templi Sanctissimæ TRIADIS, cum ipsius Ecclesiastico
Thesauro, ac Maximæ Bibliothecæ (quâ nulla præstantior in Regno)
BAIVLATOR, DEFENSOR, CONSERVATOR INFRACTVS
TEMPLI ET VRBIS PRÆSIDIVM.
Tandiu Prædicatorio, Rosariano, Hyacinthinoque celebrabitur Stylo,
Quàndiu in hac Vrbe, Regno, & Orbe, Prædicatorum superuixerit Ordo,
Qui maiora pro seipsis laudum encomia desiderauerint
Imitentur Krauzianæ Virtutis in Templo & Vrbe exempla.
Et hoc Vnicum sufficiet omnibus
AD GLORIOSAM PERENNITATEM.

PROFVNDISSIMVM DIVINÆ PRÆDESTINATIONIS ARCANVM.

PRædestinatio est Via Domini inscrutabilis. Tripliciter accipitur, *Primò* amplè, prout idem est ac Præordinatio æterna cuiuscunq; rei efficiendæ in tempore; 2. impropriè, prout idem est ac Deputatio reproborum ad æternum supplicium; 3. propriè, prout idem est ac Transmissio creaturæ rationalis in finem Vitæ æternæ; & in hac tertia acceptione in præsenti loquimur de Prædestinatione.

II. Prædestinationem dari in Deo, fide Diuinâ est certissimum. Quia Rom: 8. dicitur *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Tum quia Quidquid Deus in tempore exequitur, totum ab æterno decernit, ob suæ voluntatis immutabilitatem tam physicam quàm moralem.

III. Conueniens fuit Deum homines prædestinare. Quia ad Diuinam Prouidentiam pertinet res in finem ordinare; iam autem Creatura Intellectualis & Rationalis, efficaciter in finem vltimum s. ad claram Dei Visionem ordinatur, ex Diuina Prædestinatione.

IV. Prædestinatio ita est necessaria ad salutem, vt sine illa impossibile sit aliquem defacto saluari. Quia Math: 25. dicitur *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum*: iam autem Præparatio regni cælestis fit per Prædestinationem, vt docet D. Augustinus Tract 68. in Ioan. explicans illa Verba Ioan 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; dicit, Deus facit illas prædestinando, facturùs est operando,

V. Actus ad Prædestinationem concurrentes, sunt in triplici statu. *Primus* status est Possibilitatis, qui præsupponitur ad Prædestinationē. *Secundus* Status est Intentionis, qui principiatiuè circa finē, & circa media iudicatiuè, & approbatiuè, se habet. *Tertius* status est Executionis, qui præceptiuè & imperatiuè concurrit ad Prædestinationem. In quolibet autem istorum statuum, semper actum Voluntatis præcedit actus Intellectûs dirigens & regulans: viciſſimque omnem actum Intellectûs (excepto primo) præcedit actus voluntatis applicans & exercitium inspirans; sed præcedentiâ rationis cum fundamento in re. Quorum actuum ex parte intellectûs & voluntatis, hanc ante oculos ponimus coordinationem.

Prædestinatio in statu possibilitatis.

Actus ex parte Intellectûs.

PRimus actus Intellectus Diuini, est scientia simplicis Intelligentiæ, per quam Deus (inter cæteras Quidditates possibiles quæ ad statum futuritionis transferendæ erant) cognouit quatuor ordines rerum, quibus potuit se communicare s. Ordinem Hypostaticum, Gloriæ, Gratiæ, & Naturæ, quos vt Possibiles proposuit suæ Diuinæ voluntati, cum omni indifferentia quoad acceptari vel non acceptari, creari vel non creari absque omni conueni-

entia

Actus ex parte Voluntatis.

SEcundus actus est voluntatis Diuinæ, simplex complacentia correspondens primo actui. Et per hunc actum Voluntas Diuina, (præsuppositâ indifferentiâ ex parte intellectûs Diuini) voluit & elegit, omnibus propositis Obiectis se communicare: & hâc suâ simplici voluntate reddidit maiorem conuenientiam in creando quàm non in creando, & se determinando quatuor ordinibus communicare, quàm se non determinando. Vnde sicut in pri-

mum

entia & bonitate istorum obiectorum seu Ordinum secundùm se sumptorũ. Et ista Simplex Diuina Intelligentia correspondet nostræ Apprehensioni & Complacentia Complacentiæ.

mum actum Intellectûs Diuini voluntas non exercet aliquam motionem: ita intellectus nullam exercet (quantũ est ex parte Obiecti vt conuenientis) determinationem, in voluntatem.

Terti⁹ actus est Iudicium, iudicans illa Obiecta ex vi voluntatis Diuinæ prout eadem acceptantis conuenientiam habentia, esse ad extra fortiter & suauiter exequibilia. *Et in isto Iudicij actu terminatur ordo & status Possibilitatis, & sequitur immediatè status Intentionis.*

Prædestinatio in statu Intentionis.

QUartus actus ex parte voluntatis correspondens Iudicio antecedenti, est Intentio, à qua incipit status & Ordo intentivus Prædestinationis. Et hæc Intentio est, illis quatuor Ordinibus, actualiter sese communicandi, & principaliter naturam humanam ad Esse Hypostaticum assumendi, ex Angelis & hominibus aliquos ad Gloriã eleuandi: *Ex Motiuo* solius liberalitatis ac misericordiæ: *Per Media* seu merita liberaliter misericorditer vt cãsanda, seu in ratione effectûs inspecta. Et essẽtiale est huic Intẽtiõi, tẽdere in finẽ efficaciter vel inefficaciter.

Actus circa Media intra statum Intentionis.

Ex parte intellectûs.

Primus, est Consiliũ, non quoad Inquisitionem sed quoad certitudinem mediorum; cuius regula proxima est Eubulia.

Tertius, est Iudicium Discretivum vtilioris medij quod denuntiatur voluntati per Verbum Modi Indicatiui: cuius regula proxima est Gnome.

Ex parte voluntatis.

Secundus, est Consensus correspondens Consilio, media vt proportionata fini approbans: cuius regula est Consilium antecedens.

Quartus, est Electio eiusdem vtilioris medij, correspondens Iudicio Discretiuo tanquam suæ Regulæ. *Et in isto actu Electionis terminatur stat⁹ Intentionis.*

Prædestinatio in statu Executionis.

Primum habet actum Imperij, efficacem, voluntati immediatè & Potentijs Executiuis mediatè mediorum Executionem intimantis, per verbum Modi Imperatiui, *Fac.*

Tertium habet actum Vsûs Passiui qui est actio ipsius Imperij virtualiter transiens, & efficaciter physicè operans ad extra, tam in ordine naturæ quàm gratiæ, omnia bona in nobis opera principiantis cum digno Sacramentorũ Vsus vsq; ad finalẽ Perseuarantiã.

Secundũ habet actũ Vsûs Actiui, determinantis voluntatem & mouentis, ac applicantis actiuè media ordinata *hic & nunc* exequibilia, in ordine ad Executionem.

Quartum & vltimum habet actum Claræ Dei visionis, & perpetuæ ipsius in sæcula sæculorum Beatissimæ Fruitionis, ex qua maxima refulget gloria Christi Redemptoris, cum firma iam executioni mandata beatissima possessione quam nos expectam⁹ Amẽ.

Regulæ Generales pro actibus Prædestinationis.

VI. Unus actus connotet alium essentialiter. 2. Unus actus sit id, quod & alius actus: *Non* formaliter, *sed* materialiter: *Non* Constitutiuè, *sed* Præsuppositiuè: *Non* penes proprietatem Definitionis, *sed* Explicationis. 3. Unus ab altero participet modum, non substantiam: sic, quia *Efficacia* est modus voluntatis, ideo intellectus illam participat à voluntate: iam autem *velle obiectum* quia est Essentia & substantia voluntatis, ideo *Velle* non participat intellectus à voluntate. 4. Voluntas est primum mouens *Physicum:* quoad exercitium mouendo intellectũ: 5. Intellectus est primum mouens *Morale* quoad exercitium proponendo voluntati obiectum. 6. Ordo Intentionis est ab intellectu vt Dirigente: Executionis vt imperante. 7. Idemmet Ordo Intentionis est à voluntate vt in-

tendente:

tendente: Executionis vt applicante. 8. Ordo Intentionis & Executionis habent se modo contrario: id est media prout sunt in ordine Intentionis causantur à Fine: & prout sunt in ordine Executionis causant Finem.

VII. Prædestinatio formaliter consistit in actu Imperij. Quia Imperium in ordine Executionis est præparatio actiua præconcipiens rationem fiendi operis. T. q. Imperium est mediorum, non absolutè, remotè indeterminatè, sed proximè determinatorum & fini Prædestinationis deseruientium, Ordinatio actiua præceptiua, formalis & immediata respectu voluntatis.

VIII. Non repugnat ab intrinseco quòd substantia Prædestinati sit effectus Prædestinationis: 2. & defacto ita est. *Ratio primi.* Quia non repugnat quòd substantia Prædestinati quoad sui Existentiã, fiat ex vi Decreti quo eligitur ad gloriam. *Ratio secundi.* Quia substantia Prædestinati conducit ad Prædestinationem tanquam conditio *sine qua non* potest adimpleri Prædestinatio: & est Causa Efficiens *vt Quod* actuum promerentium gloriam.

IX. Permissio Passiua peccati, est effectus Prædestinationis electorum: 2. præparatus à Deo ex intentione Pænitentiæ. *Ratio primi* Quia passiua permissio peccati (prout dicit carentiam Gratiæ efficacis quâ positâ vitaretur peccatum) est effectus Volitus propter aliquem finem: nam Excæcatio pertinens ad permissionem peccati licet ex se ordinetur ad damnationem: ast ex misericordia Dei ordinatur ad sanationem. *Ratio 2di* Quia Permissio peccati est medium Remotum ad finem Prædestinationis: & Pænitentia est Finis proximus; iam autem Medium Remotum eligitur solùm ex amore & intentione Medij proximioris.

X. Glorificatio, Iustificatio non interrupta & vocationes efficaces: 2. imo Gratia per peccatum interrupta, non solùm vt recuperata per Pænitentiã, sed etiam vt primò collata, & quatenus interrupta non per culpam sed à Deo: 3. Et etiam vocationes inefficaces, non reduplicatiuè sed specificatiuè tales: 4. Actus quoque supernaturales, non solùm prout à Gratia, sed etiam prout à libero arbitrio procedunt, sunt effectus Prædestinationis: 5. Sola Gloria & Perseuerantia finalis *Elicitiue*, alij autem effectus enumerati *Imperatiuè* proportionati tamen cum illius fine, fiunt ab eadem. *Ratio primi.* Quia quos prædestinauit hos vocauit & glorificauit Misericors Dominus *Rom. 8.* T. q. Prædestinatio est præparatio beneficiorum efficaciter inferentium finis consecutionem. *Ratio 2di.* Quia Gratia per peccatum interrupta, vt primò collata, ex intentione Gloriæ imperatur; etenim Omne quod est effect⁹ Dei ad glorificationem concurrens, ex vi intentionis gloriæ præparatus, est effectus Prædestinationis. *Deinde.* quatenus interrupta à Deo, habet rationem pænæ peccati, ideoque potest conducere ad effectum Prædestinationis. *Ratio 3tij.* Quia licet vocationes inefficaces non extorqueant à voluntate consensum, conducunt tamen ad gloriam, *vel dispositiuè* mediatè cor hominis emolliendo: *vel Obiectiuè* per sui memoriam, ad gratiarũ actiones excitando; *vt inefficaces* ad propriæ fragilitatis cognitionem mouendo: *Vt specificatiuè tales.* ad actus humilitatis & pænitentiæ conducentiam inseruiendo: non verò *Reduplicatiuè* tales s. intrinsecam inefficaciam importando; quia vocationes inefficaces non propter intrinsecam inefficaciã, sed propter efficaciam aliorum actuum sunt Prædestinationis effectus. *Ratio quarti* quia hæc Propositio : *Actus supernaturalis liber, prout à libero arbitrio procedit, est effectus Prædestinationis:* etsi Reduplicatiuè sumpta sit in hoc sensu falsa: *Actus supernaturalis ideo est effectus Prædestinationis, quia est à libero arbitrio:* sumpta specificatiuè est vera in hoc sensu: *Actus supernaturalis liber*, secundùm formalitatem supernaturalitatis, quàm libertatis, prout procedit à libero arbitrio per gratiam eleuato, est effectus Prædestinationis. *Ratio quinti.* Quia Sola Gloria & Perseuerantia finalis petunt per se prædestinationem pro causa eliciente ordinante

nante, imperante: iam autem Auxilia supernaturalia efficacia, petunt per se Prouidentiam pro causa eliciente: pro causa Imperante petunt Prædestinationē.

XI. Electio efficax Prædestinationem ad gloriam, per modum Intentionis, meritorum præuisionem vt moventium præcedit: 2. nec sub merito cadit. *Ratio Primi* Quia Deus elegit nos in ipso (in Christo) ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti. ad Ephes 1. *Ratio 2di* Quia Merita sunt Finis illatiua & causatiua, tantùm in ordine *Executionis*; iam autem in ordine *Intentionis* sunt tantùm misericorditer causanda.

XII. Opera ex Viribus naturæ profecta nec de condigno: 2. nec de congruo primam Gratiam Auxiliantem seu primum Prædestinationis effectum merentur: 3. imo nec remotè ad primam iustificationem disponunt Dispositione Positiuâ, *Ratio primi* Quia opera meritoria ex Viribus naturæ profecta, non habent æqualitatem moralem cum præmio supernaturali: *Ratio 2di.* Quia salus spiritualis, non Volentis neque currentis hominis, sed solius est miserentis Dei. *Ratio 3tij.* Quia Omnis Dispositio Positiua, ex se ordinata ad introductionem formæ supernaturalis, etiam remota, ad gratiam Iustificationis concurrens, debet esse ex Diuinæ Gratiæ adiutorio & inspiratione Spiritûs Sancti, iuxta determinationem Concil Trident: sess: 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine praeueniente Spiritûs Sancti inspiratione, atquè eius adiutorio posse hominem* Credere, Sperare, Diligere, aut Pænitere, *sicut oportet, & vt Gratia iustificationis conferatur, Anathema sit.*

XIII. Prædestinatio est certa certitudine Præscientiæ: 2. Causalitatis & Ordinis. 3. eiusque infallibilitas non lædit nostram libertatem *Ratio primi.* Quia nemo à consecutione salutis, ad quam ex Vi Prædestinationis est ordinatus, potest deficere: iuxta illud Ioan. 6. *Omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo. Ratio 2di.* Quia Prædestinatio essentialiter supponit Electionem efficacem Prædestinatorum ad gloriam; iam autem Electio efficax Dei, infallibiliter infert & causat suum obiectum. *Ratio 3tij.* Quia de fide est Prædestinatos operibus ex gratia procedentibus, gloriam promereri; iam autem Meritum absque libertate subsistere nequit.

XIV. Reprobatio est actus positivus intellectûs & voluntatis Diuinæ quo ab æterno decreuit aliquos excludere vel non admittere ad gloriam, ob manifestationem suæ Iustitiæ. 2. daturque formaliter in Deo. *Ratio primi.* Quia Deus iuxta S. Scripturā ad Rom: 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Ratio 2di.* Quia ad Prouidentiam Dei pertinet permittere aliquem defectum in rebus, iuxta ipsorum naturam: scilicet naturæ defectibili ex vna parte prouidendo defectibiliter: & ex altera parte eidem naturæ communicando auxilia efficaciter: & vtroque modo suum finem assequi.

XV. Ante præuisionem omnis demeriti personalis, Voluit Deus efficaciter reprobis negare gloriam, seu illos à gloria excludere: Quia iuxta D. Paulum ad Rom. 9. Iacob & Esau *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni aut mali egissent, vt secundùm electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est:* quia Maior seruiet Minori: sicut scriptum est: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, quæ duo s. *Dilexi, & odio habui*, Prædestinationem & Reprobationem significant iuxta S. Thomam.

XVI. Reprobationis effectus non est substantia reprobi: 2. benè tamen Permissio omnis peccati personalis nunquam per gratiam remittendi *Ratio primi.* Quia substantia reproborum non est producta ex intentione illos excludendi à Gloria. *Ratio 2di.* Quia sicut Prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita Reprobatio includit voluntatem permittendi culpam nunquam dimittendam, & inferendi damnationis pænam.

XVII. Liber Vitæ datur in Deo; respectu Electorum: 2. non tamen Liber mortis respectu Reproborum *Ratio primi.* Quia ipsa Prædestinatorum conscriptio, & notitia Dei, quâ firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad Vitam æternam, dicitur Liber Vitæ, similitudinariè. *Ratio 2di.* Quia non est consuetum conscribi eos qui repudiantur: sicut consuetum est conscribi eos, qui eliguntur: vt patet in Militibus & Patribus Conscriptis. O Domine Misericordissime qui non vis mortem peccatoris, dele nos de Libro mortis, quos characteribus sanguineis descripsisti in manibus dilecti Filij Tui IESU CHRISTI. Cui Honor æternus, Amen.

TVRRIS OZIANA
SVSTENTATA AB ALTO.

Profundiſſimum Diuinæ Prædeſtinationis Arcanum
Centum quinquagenario Tibi pandit cubitorum Numero
Nobilis ac Spectabilis Domine.
D. IOANNES KRAKIER.
Porro
Diuina Prædeſtinatio Vniuerſa cunctis
Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ præſtat beneficia
Quæ in Tui cordis ſcrinio alia in re, alia in ſpe reponuntur.
Mineruæ Tibi pectus eſt & Caput Gorgiæ
Rediuiua in Te Thebanici Magiſtratûs Iuſtitia
Adamantina in arduis probatur ſoliditas
Socratiſque Vniformem ſemper prætefers animum.
Hoc Totum
Diuinâ Imperante Prædeſtinatione
Diuinâ conferente Prouidentiâ.
Nec communiſsima hæc omnibus quæ Tibi ſpecialiſsima ſunt
Diuinæ Prædeſtinationis Xenia.
In Petra Petri ſolidari firmiùs
In vera Pietate proficere ardentiùs
In promouendo Dei Honore ſtare Vigilantiùs
Ab Authore Gratiæ hæc Tibi conferuntur Priuilegia
Ex Liberali Prædeſtinatione.
Cætera ab Authore Naturæ
In bonorum ingenij, honoris & fortunæ poſſeſsione,
In Familiarum nobiliſsimarum connexione
In filiorum ad omnem Virtutem Natorum propagatione, ſunt tibi præſtita
Ex Naturalis Ordinis Prouidentia.
Verùm Quantus ſis in omnibus.
Centum quinquagenarius docet Numerus.
EN MYSTERIVM PANDO
Pſalterij Mariani Salutationum Angelicarum eſt iſte Numerus.
Exactus eſto in Numero Roſariano Arithmeticus.
Et Prædeſtinatam Tibi Gloriam, certò obtinebis per MARIAM
Quia MARIA eſt ſcala peccatorum, eſt maxima
fiducia, eſt tota ratio ſpei noſtræ.
HÆC TE SVSTENTET AB ALTO.
In terris: cui poſt feliciter peractam vitam cantandum in Cælis
HOSANNA IN EXCELSIS.

TVRRIS DIADENA

NEC IPSOS TIMENS DRACONES
Ex Inuincibilis Diuinæ Prædestinationis Armamentario
Omni Armaturâ fortium Instructissimo
Victoriæ Tibi spondet Triumphos
Nobilis ac Spectabilis Domine.

D. GEORGI ROMVALDE SCHEDEL.

IPSE S. TVVS GEORGIVS
Victoriarum Nicephoro Imperatori, Chuniberto Francorum,
Eduardo Tertio Anglorum Regibus, Author Gloriosus: Maximus
Turcarum ab ipsis *Chezer Elias* dictus
TERROR & FVLMEN.
Hâc Te Diuinæ Prædestinationis ad Victorias collatâ
nobilitauit Turri.
Specialissima hæc Turris, Diadenâ præstantior.

ROTIS
Senatoriarum Virtutum Tuarum, Certioris Consilij, Discretioris
iudicij, Fundamentalioris Sententiæ rectissimis Volatilior.

MILITIBVS
Bonorum operum (nesciente sinistrâ quid faciat dextra)
occultis, Equi Troiani numerosior.

ADINTRA
Ariete non hostiles muros, sed proprium pectus per
contritionem concutiente, contra inferni Dracones validior.

ADEXTRA
Omni pretioso ornatu, Honoris, Famæ, Fortunæ, Zacherlianæ
Zaleyscianæque Cognationis, splendore: nec non Fraternâ
NICOLAI AVREI Tribunalitiâ Dignitate Potentior.

DE SVPRA
Quaquà Versùs circumspectior Futuræ Æternitati felicissimæ sese adaptare:
Præteritarum Virtutum operosè inchoatarum augmentum procurare:
Præsentem Hospitalitatem Laureatam Hospitali & Hospitibus declarare
eniteris efficacissimè.

ERGO
Prospere Procede & Vince
Ex triumphante Diuinæ Prædestinationis Turri
Georgiano Ense & Hastâ
Etiam ipsos infernales Dracones.
Quam Tuam Victoriam
Non Macrocolorum sed cælestium Incolarum
Triumphanti impressæ Æternitati
Narrabunt Historiæ.

SACROSANCTVM SS. TRINITATIS MYSTERIVM.

DAtur in Deo Diuinarum Personarum pluralitas 2. Inter Patrem & Filium Essentiæ Vnitas: 3. Et inter Spiritum Sanctum cum vtroq; eiusdem Essentiæ adoratur Maiestas: 4. Suntq; tantùm tres Personæ: 5. Et non plures. Totum de fide est *Primum* quidem punctum Isa 6. acclamatur, Sanctus, Sanctus, Sanctus, (*ecce pluralitas*) Dominus Deus sabaoth (*ecce Essentiæ Vnitas*) Et talē pluralitatē cum Vnitate Diuinæ Essentiæ, in Deo requirit Perfectissima Amicitia: summa Bonitas: ac Inexhausta Felicitas: quæ tria sine extremorum distinctione reali, stare non possunt. *Secundum* habetur Ioan: 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Vnitate identitatis inter prædicata absoluta: & non tantùm Vnitate Affectiuâ. *Tertium* Sap 1. *Esse vbiq;* competit Spiritui Sancto sicuti Patri & Filio: ibi. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*: Similiter mortuorum resuscitatio Rom. 8. ac secretorum reuelatio 1. Cor. 2. eidem æqualiter conuenit, *Quartum* in Symb. D. Athan. *Vnus ergo Pater non tres Patres, Vnus Filius non tres Filij, Vnus Spiritus Sanctus non tres Spiritus Sancti.* Quæ Propositio à SS. Patribus tanquam exclusiua habetur. *Quintum* Quia numerus Personarum constituitur secundùm numerum Processionum, quæ sunt duæ, Generatio à Patre per quam producitur Filius: & Spiratio Actiua à Patre & Filio: per quam spiratur Spiritus Sanctus.

II. Processiones immanentes dantur in Diuinis. Quia Ioan 7. Christus de seipso attestatur. *Ego à Deo processi:* & Ioan. 16. de Spiritu Sancto affirmat: *Mittam vobis Spiritum veritatis.* Et tales Processiones sunt à Principio originis intrinseco, connexo absq; dependentia, coæterno & immateriali.

III. Processiones Actiuæ sunt formaliter ipsimet actus essentiales Intellectionis & Volitionis Diuinæ, prout modificati per suas Relationes in obliquo connotatas, Quia Intellectio Essentialis actiuè sumpta, vt modificata per Paternitatem est propriè Viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ generatio. Vnde Generatio seu Intellectio actualis, est forma constitutiua Patris vt Generantis: ipsa autem Paternitas est modus & complementum istius formæ.

IV. Principium *Quo* Diuinarum Processionum *Remotum*, est Essentia Diuina 2. Proximum est Intellectus & Voluntas. 3. prout suis modificantur Relationibus. *Ratio primi.* Quia Personæ Productæ assimilantur Personis Producentibus in natura *Ratio 2di.* Quia sicut quælibet natura creata medijs potentijs à se realiter distinctis est operatiua; ita & Natura Diuina medio intellectu & voluntate tanquam Potentijs à se Virtualiter distinctis est productiua intellectionis & volitionis. *Ratio tertij* Quia Principium *Quo* reale debet saltim inadæquatè distingui à termino producto: quod in Diuinis præstant Relationes in obliquo connotatæ.

V. Processio Verbi ideo est Generatio, quia Verbum procedit per intellectum ex proprio concept: assimilatiuum 2. & Processio Spiritûs Sancti ideo non est Generatio, quia procedit per voluntatem, quæ non est potentia assimilatiua. *Ratio primi.* Quia Verbum Diuinum ideo est genitum: quia est simile suo Principio in natura sibi communicata per intellectum; iam autem Intellectio fit per assimilationem; consequenter Pater æternus producendo Filium, per intellectum intendit sibi producere simile in natura, secundùm esse tam Intelli-

tellibile quàm Naturale *Ratio 2di.* Quia proprius modus operandi voluntatis, non est per assimilationem ad obiectum amatum, sed per inclinationem & propensionem in illud, Vnde Pater & Filius vt sunt Vnus Spirator, per actum volitionis Diuinæ substantialis, vt modificatæ per Relationem Spiratoris, ex vi Processionis *Ordine Intentionis* primariò & per se producunt Impulsum seu Amorem, qui formaliter specificat actionem volitiuam; tam autem *Ordine Executionis*, primariò communicant Naturam Diuinam per Processionem.

VI. Relationes Diuinæ dantur in Deo 2. à Diuina Essentia indistinctæ tam realiter entitatiuè 3 quàm realiter modaliter 4. sed solâ ratione ratiocinatâ. *Ratio primi.* Quia inter Personas Diuinas est distinctio realis, à Relatione proueniens. *Ratio 2di.* Quia in Diuinis esset quaternitas rerum; contra Concil: Lat: *Ratio 3tij.* Quia Persona Diuina esset composita, ex natura & ex modo realiter distincto ab illa. *Ratio 4.* Quia Essentia & Relationes prout definiuntur à viatore per conceptus inadæquatos, distinctas habent ex parte modi concipiendi definitiones; iam autem secundùm quòd concipiuntur à Comprehensore, & prout sunt in re, vnicâ adæquatâ gaudent Definitione.

VII. Essentia Diuina sub formalitate Entitatis Diuinæ transcendentalis: 2. & sub conceptu Naturæ, est de Quidditate Diuinarum Relationum. 3. ipsæq; Relationes sunt de conceptu Deitatis. 4. non Metaphysicè constitutiuò. 5. sed modificatiuè terminatiuò. *Ratio primi.* Quia Relationes Diuinæ includuntur in Essentia: sicut Abstracta in Concretis, quæ in Deo quoad rem significatam idem formaliter important, vt Devs Deitas Pater Paternitas: non tamen quoad modum significandi. *Ratio 2di.* Quia sicut Persona Humana essentialiter includit naturam humanam, cuius est Indiuidua substantia; ita Persona Diuina, essentialiter includit Naturam Diuinam, consequenter Personalitas eandem includit: quia Abstractum & Concretum in Deo sunt idem quoad rem significatam. *Ratio 3tij.* Quia Impossibile est aliquos duos dari conceptus obiectiuos, quorum vnus essentialiter includat alterum, & alter non includat ipsum. *Ratio 4ti.* Quia Relationes Diuinæ non intelliguntur primò in Essentia Diuina, cùm non sint cæterorum radix. *Ratio 5ti.* Quia Essentia Diuina petit essentialiter terminari & modificari Relationibus tanquam modis inadæquatis.

VIII. Spiratio Actiua quâ Pater & Filius respiciunt Spiritum Sanctum, vt suum Correllatiuum, à se distinctum, est Relatio Realis, indistincta realiter à Paternitate & Filiatione 2. & distincta Virtualiter. *Ratio primi.* Quia inter prædictas Relationes, non obuiat oppositio Relationis. *Ratio 2di.* Quia Paternitas & spiratio actiua, respiciunt diuersos terminos: non specificè, ergo saltim virtualiter & in Relationis ratione distinctos.

IX. Relationes Diuinæ secundùm conceptum explicitum, prout Virtualiter ab Essentia distinctæ, non addunt aliquam realem perfectionem relatiuam Virtualiter distinctam à perfectione Essentiæ. Quia perfectio sumitur per ordinem ad subiectum perfectibile, inspectum *Ratione sui* per commensurationem ad illud; iam autem Relatio respicit subiectum *Ratione termini Correllatiui*, cum quo commensuratur. Et ideo Attributa addunt perfectionem aliquam Essentiæ Diuinæ Virtualiter distinctam, quia Essentiam Diuinam respiciunt ratione sui: Tum quia cuilibet ex Personis Diuinis deficeret aliqua perfectio æqualitem tollens. T. q. Perfectum est cui nihil deest; tantùm in genere dicente perfectionem: nam peccato nihil deest, in proprio genere, & tamen non potest dici *Perfectum.*

X. Relationes Diuinæ non gaudent existentijs Relatiuis realiter inter se & virtualiter distinctis ab Existentia absoluta. Quia quidditas Relationum est Relatiua: & Existentia Relationum est quid absolutum; iam autem absoluta non multiplicantur ad multiplicationem Relationum. Tum quia in Deo non

sun

ſunt tres Eſſentiæ: nec tres Naturæ Diuinæ: nec tres Deitates: nec tres rationes Increati: nec tres Æternitates: Ergo nec tres Exiſtentiæ.

XI. Perſona quoad ſuam formalitatem propriè reperitur in Deo 2. eius formale ſignificatum eſt Relatio in Concreto. *Ratio primi.* Quia iuxta Symb: D. Athan: *Alia eſt Perſona Patris: alij Filij: alia Spiritûs Sancti.* Tum quia, quælibet Perſona Diuina eſt Indiuiduum, non *Logicum* correllatiuè ſe habens ad Speciem, ſed *Metaphiſicum* ac Incommunicabile.

XII. Subſiſtentia Abſoluta datur in Deo vnica, tribus Perſonis Diuinis communicabilis 2. Nec Subſiſtentia vt dicit Perſeitatem Independentiæ a ſuſtentante 3. Sed vt dicit Perſeitatem Incommunicabilitatis, multiplicatur realiter in Perſonis Diuinis. *Ratio primi* Quia Subſiſtentia Abſoluta in Perſeitate conſiſtit; iam autem Devs tribus Perſonis Diuinis præintellectus, eſt per ſe exiſtens *Vt Quod*, Perſeitate excludente dependentiam à ſuſtentante. *Ratio 2di.* Quia non multiplicatur Eſſentia Diuina, quæ ſecundùm ſe eſt ſubſiſtens. Tum quia Attributa & Relationes quamuis virtualiter diſtinguuntur ab Eſſentia, & tamen in vtriſq; non multiplicatur; ita pariter ſubſiſtentia vt dicit perſeitatem independentiæ eſt immultiplicabilis in vtriſq;. *Ratio 3tij.* Quia Subſiſtentia non ſolum dicit ſubſiſtere vnicum, ſed etiam Indiuiſionem & Incommunicabilitatem, quæ pertinet ad lineam Relatiuorum. Tum quia in Deo ſunt tres Perſonæ; iam autem Perſona pro formali ſignificato, habet Relationem in Concreto, *quæ vt forma Hypoſtatica eſt* Perſeitatem Independentiæ; *vt Relatio eſt* Perſeitatem Incommunicabilitatis conſtitutiuæ Perſonarum inportat.

XIII. Quæ Perſonis competunt ratione ſolius Eſſentiæ, *ſingulariter* tantùm dicuntur in Diuinis: 2. quæ ſolùm ratione proprietatum Perſonalium, dicuntur *pluraliter* 3. quæ autem ratione Eſſentiæ & Proprietatum dicuntur, & *ſingulariter*, & *pluraliter*, prædicantur. *Ratio primi.* Quia ſicut ipſa Eſſentia ita & tota linea abſolutorum, ratione ſolius eſſentiæ conueniens Perſonis, eſt implurificabilis. *Ratio 2di.* Quià linea Relatiuorum plurificatur: nam in Deo tres Perſonæ dicuntur. *Ratio tertij.* Quia prædicatum ad vtramq; lineam pertinens, iuxta illarum exegentiam debet ſe habere.

XIV. Nomina alia vnitatem Eſſentiæ, alia pluralitatem Perſonarum declarant. *Trinus & Trinitas*, declarat numerum trium Perſonarum ſine diminutione ſimplicitatis vel additione inæqualitatis. *Deus, Dominus, Omnipotens*, declarant Naturæ & virtutis vnitatem. *Diuerſus, Diuiſus, Diſcrepans*, excluduntur à Deo, quia tollunt Diuinam vnitatem, ſimplicitatem, ac ſimilitudinem.

XV. Cognoſcilitas Myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis non eſt rationi naturali contraria: 2. attamen nullus intellectus creatus nec Poſſibilitatem: 3. nec Exiſtentiam huius Myſterij valet demonſtrare. *Ratio primi.* Quia hoc Sanctiſſimum Myſterium, non poteſt eſſe aſſenſui vero contrarium: nam Verum vero non poteſt eſſe contrarium; iam autem quod non eſt Obiecto rationis Naturalis contrarium, nec ipſi rationi Naturali poteſt eſſe contrarium. *Ratio 2di.* Quia ſi poſſet demonſtrari *vt Poſſibile*, per rationem Naturalem, etiam poſſet euidenter demonſtrari *Vt Exiſtens*: quia lumine Naturali notum eſt, quòd Deo conueniat omne Poſſibile, ne ſit in potentia ad aliquam intrinſecam perfectionem aut Entitatem. *Ratio 3tij.* Quia Math. 16. Diuus Petrus hoc Myſterium confitetur ex reuelatione Patris cæleſtis: Vnde Devs vt Vnus & Trinus, cùm ſit ſupernaturalis Entitatiuè, & in eſſe cognoſcibilis, nullam habet à Priori aut à Poſteriori connexionem cum lumine Naturali intellectûs noſtri.

XVI. Notiones dantur in Diuinis quinq;. Quia Notio eſt ratio propria cognoſcendi Perſonam Diuinam; iam autem quælibet Perſona habet eiuſmodi rationes proprias: Pater habet *Innaſcibilitatem* & *Paternitatem*: Filius *Filiationem*: Pater & Filius vt ſunt vnum Principium Spiritûs Sancti *Actiuam* & Spiritus Sanctus habet *Paſſiuam* ſpirationem.

XVII.

XVII. SACROSANCTVS ÆTERNVS PATER obtinet rationem Principij: 2. eiusq; Innascibilitas deformali importat negationem. *Ratio primi.* Quia Pater est à quo procedit Filius: iam autem Principium est à quo procedit alius. Filius tamen non dicitur *Principiatum*, quia hoc nomine, significatur minoritas & dependentia. *Ratio 2di.* Quia Innascibilitas importat negationem Essendi ab alio omnis Principij tam Productiui quàm Communicatiui; quod nulli alteri Personæ Diuinæ competere potest.

XVIII. SACROSANCTVS ÆTERNVS FILIVS est Verbum Diuinum 2. proceditq; per se in quarto modo ex cognitione Essentiæ & Paternitatis 3. Filiationis: 4. Spirationis Passiuæ; 5. ac Creaturarum Possibilium comprehensione. *Primum.* de fide Ioan 1. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* *Ratio 2di.* Quia Verbum Diuinum procedit excognitione Comprehensiua Essentiæ Diuinæ: *In qua & Ex qua tanquam ex radice* cognoscibilis est Paternitas radicata; *Ratio 3tij.* Quia Verbum Diuinum, est sui expressiuum: ac per cognitionem habet sibi tam Naturam Communicatam, quàm Filiationem productam: ac Sola Intellectio Essentiæ prout in Patre, est fæcunda ad Verbi Diuini generationem: *Sola Subiectiuè*: sed non sola *Obiectiuè* quia non ex-solius Essentiæ, Paternitatis, sed etiam Filiationis ac Spirationis cognitione fæcunda, procedit Verbum. *Ratio 4ti.* Quia Verbum Diuinum procedit ex cognitione sui, prout Spiratoris, quæ Relatio Spiratoris presupponit communicatam vim spiratiuam: & hæc cognoscitur solùm per ordinem ad Terminum spiratum: Sicut vis generatiua & creatiua ad extra per ordinem ad suum terminum cognoscitur. *Ratio 5ti.* Quia Verbum Diuinum est per se Verbum Creaturæ Possibilis; non vt *Dicentis* quia Imago ipsius non est, sed vt *Manifestati* per Verbum. Tum quia Verbum Diuinum procedit ex cognitione comprehensiua Omnipotentiæ, quæ ab intrinseco & essentialiter connectitur cum creaturis possibilibus, absq; dependentia ab illis.

XIX. SACROSANCTVS SPIRITVS SANCTVS procedit à Patre & Filio: 2. si non procederet à Filio, non distingueretur ab illo realiter: 3. Proprieq; Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto. *Primum* de fide. Ioan 15. *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre.* *Ratio secundi.* Quia in Diuinis iuxta Concil: Tolet: Hoc solùm numerum insinuat quòd *Ad inuicem* sunt: & in hoc numero carent, quòd *Ad se.* non sunt. Quod testimonium verificatur de Relatione & prout forma Hypostatica est, & prout munus Referentis exercet. Tum quia Eo ipso quòd de facto à Relatione relatiue opposita, & fundata in origine, tanquam à ratione formali proueniat distinctio realis inter Filium & Spiritum Sanctum; euidenter infertur quod ablatâ Processione in quacunq; Hypothesi, non potest remanere inter Vtrumq; Distinctio Realis. *Ratio tertij.* Quia Verbum *Diligere* in sua significatione importat determinatum terminum, tàm specificatiuè quàm coniunctim significatiuè; ideoq; dum construitur cum Accusatiuò SE transitiuè, importat habitudinem Diligentis ad rem Dilectam.

XX. Constitutiuum Personarum Diuinarum, sunt proprietates Personales Relatiuæ: 2. prout dicunt conceptus formarum Hypostaticarum: non verò Referentium. *Ratio primi.* Quia Personæ Diuinæ aliquo sui differunt: iam autem Quæ differunt aliquo sui, habent aliquod sibi proprium quo constituantur & distinguantur. *Ratio 2di.* Quia proprietas Relatiua vt *forma Hypostatica* est, importat Primariam Perseitatem Incommunicabilitatis: iam autem vt *Referens* est importat Perseitatem secundariam Incommunicabilitatis. Et iste Supremæ Maiestatis Dominus Incommunicabilis ad intra Personaliter, vt sit ad extra nobis Communicabilis in gloria permanenter, dignetur operari efficaciter Redemptor noster IESVS CHRISTVS, cui in Vnitate Patris ac Spiritûs Sancti Honor & Gloria in sæcula sæculorum, Amen.

26

TVRRIS MECÆNATIS
PVBLICI BONI GAVDIVM ET EXVLTATIO
Dum Gaudij Interminabilis
Per Sacrosanctum Sanctissimæ Trinitatis Mysterium
Vniuersis exhibitum Sanctis
Repræsentat Hieroglyphicon,
NOVVM TIBI ANNVNCIAT GAVDIVM
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. IOANNES GAVDENTI ZACHERLA
S. R. M. Secretarie.
TV BONI PVBLICI MECÆNAS
Hanc quam CRACVS condidit Vrbem
Tuis Maximis adornas & conseruas curis.
Sic Actionis primum dantis Esse, ac Conseruantis
prout eadem Continuatio, ita est & Dignitatis Communicatio.
TV BONI PVBLICI GAVDIVM
Insignem Curiæ Metropolitanæ Turrim, Horologium, ac suauioris
sonûs Campanam, fleuimus á fulmine concremata
Verum Tu Cleopes Cracius, fluentes omnium nostrûm extersisti lachrymas
Magnificentissimam Turrim collocando, ac Vrbem pristino Decori restituendo.
TV BONI PVBLICI EXVLTATIO.
Inter tristes singultus, morte moriebamur pestilenti
Tu Agronem pro Tuis Athenis egisti, accensis salutaribus Charitatis ignibus
Tu novus Leucathoen contra pestiferas aeris infectiones, in Virgam
mutatus Thuream, diffusis suauioris beneuolentiæ odoribus.
Tu Perseus necessitati desideratus, Tuam Andromedam monstro
Lybithino expositam ab internecione vindicâsti.
Tu Romulus Asylum Lazarethi summâ Administratione Tuâ exstructum
Sufficientibus victualibus sustentâsti.
Tu Laomedon Pius, non Hesionem, vt ab infecta Troia pestem
expelleres exposuisti, sed Animam Tuam vt Ciuium salutem
conseruares, non in Agamemnonis sed Mecenæi &
Cleombroti Hostiam consecrâsti.
Nouam nunc opus fuisset aut fundare Cracouiam
aut Antiquam non extare, ni Tu Mecænas subuenisses
ALTER DEMETRIVS PHILARETVS
Qui ob Rempublicam benè gubernatam ac conseruatam
trecentis statuis est honoratus.
Ast Tu feliciore calculo, tot sui honoris habes viuentes statuas
quot superuixerimus à peste conseruati Incolæ.
Tantis Tuis Gloriosis Meritis accrescant Gaudia semper
Ex laboribus erga Ecclesiam Archypresbiteralem & Hospitale de Saxia declaratis:
Ex claris Schedeliorum, Celestonum, Marcouiorum Domibus:
Ex lætificantibus Gaudentio, alÿsq; duobus Gemmellis
fortunatis Tibi gemminetur lætitia filÿs.
Ac ex Auita quam intra Regum intulisti Nobilitate.
Quorum omnium vltimus Terminus esto Gaudiorum
SACROSANCTVM SS. TRINITATIS MYSTERIVM
NOVVM GAVDIVM.

TVRRIS TYRVNIA
FVNDATA IN PVLCHRITVDINE
Sacro Oseæ attestante eloquio
Beatissimæ Felicitatis
Ineffabilem Tibi præsentat Pulchritudinem.
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. ANDREA WĘGRZYNOWICZ.
Enimuerò
SACROSANCTVM SS. TRINITATIS MYSTERIVM
Fons, Origo, & Oceanus est
Desideratissimæ ab omnibus Pulchritudinis.
PVLCHER DEVS EST
Quia Bonus est: quia Perfectus est.
Quam Bonitatem & Perfectionem, dum omnes creaturæ imitantur, in pondere, numero & mensura, Diuinam assequuntur Pulchritudinem.
Hæc Diuina Pulchritudo
In Vestram Præclari Wegrzynowicij Venit Venustatem.
PVLCHER GABRIEL VESTER
Cuius pulchram Virtutem, Iuris Vtriusq; Doctoratu coronauit Roma: Veritatis Legalitas, Apostolico insigniuit Protbonotariatu: Ecclesiastica Dignitas, Tarnouiensi Collegiatâ exornauit Custodiâ, Cracouiensi SanctorumOmnium ampliauit Canonicatu, Pilznensiq; Præpositurâ & Officialatu ornauit Honorificentissimè.
PVLCHER ALBERTVS VESTER
Eruditione & pietate clarus, cælestium contemplationi deditus, sacris consecratus Altaribus, pulchrâ Virtutum Coronâ, Stobnicensem illustrauit Præposituram.
PVLCHER ANDREAS VESTER
Consularibus insignitus Fascibus, Iustitiâ sicut dyploide Vestitus, Bonitate diues in omnes, Perfectione ad veritatem non ad speciem speciosus, Filiorum adornatus Decore: Quorum primus
PVLCHER MARTINVS
Togâ Academicâ Alcibiadem Protbonotariatu Apostolico Alsum, Omnium Sanctorum Canonicatu Democletem, Romano S. Theologiæ Doctoratu Achantum, Pilznensiq; Præpositurâ superans in pulcritudine Narcissum. Verè omnis Virtutis & eruditionis corculum, intuentium attrabens oculos, corda & animos.
ALTER ANTONIVS PVLCHER
Seraphico ignitus amictu & altioris ingenij Scotistico honoratus Lectoratu.
Tuus est iste Paternus Honor
Duobus suorum filiorum clarissimis Luminaribus Ecclesiastico Orbi lucere ad pulchrum decorem, Krauzouianis innexum fœderibus.
E R G O
Vestræ Stabilitæ Pulchritudinis
Aurifluis sæclis Vobis sit fama perennis
Nominis & Tanti, Pulchra Corona DEVS.

CREATIONIS OMNIPOTENTISSIMÆ MODVS, TERMINVS, INCOMMVNICABILITAS:

FIDES Catholica docet hunc mundum visibilem esse, à Deo creatum ex nihilo : 2. potestque naturali ratione ostendi, Deum posse creare ex nihilo. *Primum* constat ex S. Scriptura. Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Et Mach 7. *Peto nate vt aspicias ad cælum & terram & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quòd ex nihilo fecit ea Deus & hominum genus.* T. q. Solus Deus est Ens per Essentiam, & suum esse subsistens in tota ac infinita plenitudine essendi; ideoque omne Ens extra Deum est Ens per participationem ab ipso causatum. T. q. *Ex Nihilo nihil fit;* comparatiuè ad agens naturale limitatum: non autem ad agens vniuersale subsistens in plenitudine essendi, ac perconsequens non indigens agere per transmutationem. *Ratio 2di.* Quia Deus est actus purus, nullatenus potentiæ siue Physicæ siue Metaphysicæ permixtus; & ex hoc habet totum præcontinere id, quod rationem Entis habet in creatura, ideoque habet Ens inquantùm Ens causare; consequenter potest ex nihilo aliquid producere; Iam autem alia agentia, *Vel* habent actum qui informat materiam Physicam, ideoque non sunt actus purus Physicus; *Vel* habent actum permixtum potentiæ Metaphysicæ (quales sunt Angeli) quam potentialitatem non possunt à se excludere, quia sunt Entia limitata ad certum genus & speciem certam; ideoque de effectibus suis non possunt præcontinere totum, quod in illis ad lineam Entis spectat, sed tantùm hoc *Vel* illud Ens in particulari; consequenter ad hoc quod causare Ens inquantùm Ens, seu totam rationem Entis, peruenire non possunt, ac proinde ex Nihilo nihil producere valent. T. q. Omne quod fit antequam fiat, possibile erat esse: non per aliquam potentiam *Passiuam* Physicam: sed per potentiam *actiuam* Dei, stante non repugnantiâ terminorum ex parte rei factibilis,

II. CREATIO non est Vera & realis mutatio, sumpta *Passiuè* prout importat nouitatem essendi rei quæ creatur: 2. & *actiuè* accepta prout se tenet ex parte Dei, est ipsa vltima actualitas actionis, prout in tempore relatione rationis refertur ad effectum quem producit: 3. iam verò prout se tenet ex parte creaturæ, est ipsamet creatura, nec datur aliquod medium inter Deum & creaturam superadditum ipsi creaturæ, quasi actio influens & ratio producendi: 4. sed tantùm est nouitas termini cum relatione dependentiæ à Deo ad ipsam consecuta. *Ratio primi.* Quia Creatio cùm sit ex nihilo, est inter extrema Contradictoria s. inter *Ens & Non ens* simpliciter tale: Contradictorijs verò terminis nihil potest esse commune: quia neque in Subiecto, neque in materia, neque in prædicato aliquo reali secundùm rationem communem, neque in Accidentibus termini à quo, possunt conuenire: quod totum necessarium est ad veram mutationem. *Ratio 2di.* Quia Deus non dicitur ab æterno creans, sed tantùm in tempore. Ergo præter vltimam actualitatem Actionis Diuinæ, ab æterno ei conuenientem, requiretur ad rationem Creationis superaddere Deo aliquid temporaliter conueniens: & hoc superadditum erit relatio rationis, ex hoc quòd effectus in tempore ponitur. Et etiam virtus ex qua effectus ponuntur in re in tempore, conuenit Actioni Diuinæ ab æterno, actu *Possessiuè*, non tamen actu *Explicatiuè*, quia Virtus ab æterno non se explicat in productionem effectuum. *Ratio 3tij.* Quia istud medium quo res dicitur creari seu *Passiuè esse creatam*, debet recipi in aliquo subiecto: iam autem tale medium non potest esse *Nec* Substantia, quia si Substantia redderet rem creatam, cùm ipsa non esset Deus, deberet esse creata aliâ creatione, & sic in infinitum; *Nec* potest esse Accidens quod inhæreat aut modificet. *Ratio 4ti.* Quia Creatio cùm non sit motus neque mutatio, hinc *Fieri* rei creatæ, & *Factum esse*, prorsus

ſus ſunt idem; ablata autem ab aliquo *Fieri* ratione motûs & mutationis, tantûm reſtat Relatio, quâ vt dependens refertur ad agens, à quo fit id quod producitur; conſequenter res ſic facta & producta, immediatè procedens ſeipſa ab agente, tantùm habet dependentiam ab ipſo: & hæc dependentia explicatur per Relationem: & ſic Creatio, prout ſe tenet ex parte rei creatæ, ſolùm eſt Relatio cum nouitate eſſendi: & habet ſe conſecutiuè: prout autem Creatio ſe tenet ex parte Dei cuius eſt cauſalitas, hoc modo non ſe habet conſecutiuè, ſed priùs debet intelligi *Vel* ſaltim non poſteriùs ipsâ creaturâ quæ fit & creatur.

III. CREARI ſolùm conuenit ſubſiſtentibus: 2. Compoſitis aptitudinaliter: 3. imo & defacto aliqua compoſita .ſ. corpora cæleſtia ſunt creata: 4. Materia prima poteſt fieri ſine creatione: 5. & tamen naturali factione non fit niſi per creationem: 6. ſed tamen non propriè creatur: 7. Accidens extra ſubiectum poteſt propriè creari: 8. iam autem Gratia habitualis nec creatur, nec concreatur, etiam dum Angelis primò communicata, fuit. *Ratio primi.* Quia Creari eſt quoddam fieri, quod ordinatum ad eſſe rei (loquendo de creatione non ſecundùm eſſe reale, ſed ſecundùm modum intelligendi, prout intelligitur à nobis per modum cuiuſdam mutationis & fieri rei quæ creatur) vnde illis conuenit fieri & creari, quibus conuenit eſſe; hoc autem propriè conuenit Subſiſtentibus, ſiue ſint *ſimplicia* vt Subſtantiæ ſeparatæ etiam & anima noſtra; ſiue ſint *Compoſita*, vt Subſtantiæ materiales, quia iſta habent eſſe; iam autem formæ & Accidentia non dicuntur Entia quaſi ipſa ſint, ſed quia eis aliquid eſt: vg. Albedo eâ ratione eſt Ens, quia eâ Subiectum eſt album. *Ratio 2di.* Quia Compoſitum quodlibet, *primò* & per ſe eſſe poteſt, quia ei per ſe *primò* conuenit ſubſiſtere: nam omnia quæ in eo ſunt, ſicut in eo habent *eſſe*, ita in eo habent *ſubſiſtere*. T. q. Totum non alio modo fit, cùm *primò* fit, ac poſtquam factum eſt, conſeruatur; aſt verò *in linea effectiua*, & per ordinem ad efficiens *primò* conſeruatur Totum, & ratione illius conſeruantur partes, quarum vnione fit & conſeruatur Totum: iam autem *in linea Cauſalitatis intrinſeca*, Totum fit per vnionem partium, & ſicut fit ita & conſeruatur; vnde Creatio Totius procedit non ex partibus ad Totum, ſed à Toto incipit efficientia eius, & ratione illius cauſantur partes, quæ ſunt intrinſecæ cauſæ illius. *Ratio 3tij.* Quia S. Scriptura dicit Cælum eſſe factum *In Principio*, id eſt ante omnia, & non ſolùm *primò* factum inter Compoſita materialia: vnde Deus per actionem rigoroſam creatiuam, creauit cæli Subſtantiam & eius proprietates: deinde aliâ diſtinctâ actione ſeu generatione produxit ornatum cælorum iuxta illud: *Iſta ſunt generationes cælorum*. T. q. Corpora Cæleſtia cùm *primò* producta ſunt, non ſunt facta ex tranſmutatione materiæ; quis enim illam tranſmutaret materiam? *Non* agens naturale creatum, quod nondum ſupponebatur. *Non* Deus, quia ad tranſmutandam materiam deberet Deus vti duabus actionibus per quarum *primam* produceret *primò* materiam ex nihilo: & per ſecundam ex materia producta educeret formam cæleſtem; iam autem Deus vnicâ actione produxit materiam & formam cælorum; conſequenter illa actio reſpectu vtriuſque eſt vera creatio, quæ ex ſua quidditate requirit, quòd ſit Totius entis ex nihilo eductio. *Ratio 4ti.* Quia iuxta communem doctrinam Thomiſtarum, cùm ex corruptione ſpecierum Sacramentalium vermis producitur, *Vel* ex cõbuſtione earum fiunt cineres, tunc Deus non creat nouam materiam, ſed Quantitas panis vi præcedentis miraculi conuertitur in materiam *primam*, ex qua forma Vermis *Vel* cinerum educitur; igitur tunc materia fit, & tamen Creatione non fit. Et illa Quantitas quæ erat, eſt, ſed mutata in panem: vnde cùm Quantitas illa ex nihilo ſit, ſequitur, quòd vermis ex illa vt mutata cõſtans, fit ex nihilo, & perconſequens vera creatura ſit: & ſic quamuis in noſtro caſu materia *prima* fiat ſine creatione, ad huc tamen omne Ens creatum reducitur ad Creatorem *Vel* immediatè *Vel* mediatè; aut etiam

etiam per suspensionem Concursûs, reducendo res in nihilum. *Ratio 5ti.* Quia materia prima non potest fieri per generationem *Vel* eductionem ex aliquo, nam ipsa est *primum* omnium subiectum, ex quo omnia generantur; *Nec* per conuersionem alterius in ipsam, nam hæc solùm diuinitùs & miraculosè est possibilis: vnde restat quòd solùm fiat per hoc, quòd Totum constans ex illa, fiat ex nihilo per creationem: & tunc ipsa concreatur. *Ratio 6ti.* Quia materia prima cùm sit pura potentia, nequit per se subsistere: iam autem Creatio terminatur ad id, quod est absolutè Ens, id est potest habere Entitatem independenter ab alio. Iam autem Materia prima neque actu subsistit: neque ei debetur per se subsistere; ad differentiam Animæ. *Ratio 7mi.* Quia tunc Accidens non educetur ex potentia subiecti, sed per se *primò* fit. T. q. Deus Accidenti potest communicare modum essendi per se: non illum qui proprius est substantiæ, prout .f. Perseitas dicit negationem Inhærentiæ tam *actualis* quàm *aptitudinalis*, sed alium à Deo sibi mirabiliter communicatum, cum ordine aptitudinali ad inhærendum. *Ratio 8ui.* Quia Gratia est Accidens: iam autem Omne Accidens non dicitur Ens, quia ipsum Esse habet, sed quia eo aliquid est: vnde Gratia dicitur Creari solùm moraliter, ex eo quòd homines secundùm eam creantur, id est in nouo esse constituuntur, *ex nihilo* id est non ex meritis. T. q. Gratia in omni sua operatione dependet ab anima: & materialiter destruitur per separationem ab illa; iam autem Quod dependet à subiecto in esse, fieri, & conseruari, non creatur, sed ex subiecti potentia aut Naturali aut obedientiali educitur. Vnde Gratia dependet ab anima dependentiâ *Nonrepugnantiæ*, ex parte potentiæ Obedientialis, non autem dependentiâ *Existentiæ* & positiuæ inclinationis ad illam.

IV. CREATIVA VIRTUS nulli creaturæ: 2. nec principaliter: 3. imò nec instrumentaliter communicari potest: 4. Nec in operibus artis & naturæ admiscetur Creatio. *Primum* est fidei dogma, Omnes videlicet Substantias spirituales & materiales esse à solo Deo creatas, iuxta illud Isaiæ. 44. Ego Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram & nullus mecū.

Ratio 2di, Quia ad creandum requiritur indispensabiliter Virtus infinita, quæ possit in omnem rationem Entis producibilis, ex eo quòd Terminus *à quo* creationis, cùm sit *Nihil* seu carentia in facto esse omnis Entitatis, non suscipiens magis & minùs, ideo æqualiter iste terminus distat ab omni ente creabili etiam perfectissimo; consequenter virtus quæ potest vincere talem distantiam producendo aliquod Ens, iam potest omne Ens factibile producere, proindeque erit infinita: iam autem virtus infinita, nequit communicari creaturæ. T. q. Vniuersalissimus effectus solùm potest in causam vniuersalissimam reduci: iam autem ipsum *esse* (ex quo non determinatur ad hoc *Vel* illud esse) est effectus Vniuersalissimus; & *tale esse*, est effectus & terminus Creationis: nam Creatio, cùm sit totius entis ex nihilo productio, prætendit per se *primò* facere ipsum *esse*, non hoc *Vel* illud, sed ipsam rationē entis; ad differentiam causarum particularium quæ producunt *esse* in compositis, secundùm rationem particularem. Hinc Deus dum operatur vt Causa Vniuersalis, semper creat: dum operatur vt Causa Particularis, non creat, sed producit. vg. Gratiam dum producit, agit vt Causa Particularis. *Ratio 3tij.* Quia omne instrumentum debet habere aliquam actionem *Vel* quasi actionem per quam præuiè operetur in passo, disponens illud ad effectum principalis agentis: vnde actio instrumenti indispensabiliter est ex aliquo; *Vel* in aliquo: iam autem Creatio essentialiter est *ex nihilo*. *Ratio 4ti.* Quia in operibus naturæ, omnis forma materialis dependet in esse, fieri, & conseruari, à materia; consequenter Agens naturale tales formas educit ex potentia materiæ; ad differentiam animæ rationalis, quæ formaliter non est opus naturæ, cùm non ex semine producatur, sed immediatè à Deo creetur, ad cuius receptionem solùm operatio naturæ disponit materiam.

V. CRE-

V. CREARE non est proprium alicuius Personæ, nec in hoc sensu, quòd aliqua determinata Persona Trinitatis Vniuersitatē rerū creauerit, sine concursu aliarum ad creandum: 2. nec in hoc, quòd licet tres creauerint Vniuersitatem rerum, attamen in qualibet re, dabeat reperiri in vna, quod non sit ab alia productum, siue ista producta, sint res inter se distinctæ realiter, siue ratione: 3. nec tandem ita, quòd etsi tres Personæ ad omnes effectus concurrerint, alio tamen & alio modo quælibet concurrat, quasi mutuò se ad iuuando in huiusmodi rerum productione. *Primum* excluditur per fidem in Concil. Lat. cap. *Firmiter* ibi, *Sanctam Trinitatem esse creatricem rerum omnium, indiuisam habere virtutem, & esse vniuersorum Principium.* Et ratio id suadet. Quia in Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obiuiat oppositio relatiua; iam autem in hoc quòd est creare, Personæ nullam habent inter se oppositionem. *Ratio 2di.* Nam quorum est Virtus indiuisa, eorum est omnino actio indiuisa: consequenter & vna productio; iam autem Creare conuenit Personis Diuinis, ratione eiusdem indiuisæ Virtutis .s. intellectûs & voluntatis, quæ indiuisim reperitur in illis. Vnde virtus Creatiua, cùm sit communis tribus Personis, *Communitate Indiuisionis* quia absolutum prædicatum est, ideo etiam Creare, vt pote eius actus proprius, est indiuisus; & hoc ad differentiam virtutis terminatiuæ; nam Terminare naturam humanam ad extra, est commune tribus Personis, non Communitate *Indiuisionis* sed *Multiplicationis*, in illis: & quia tale prædicatum est in vnaquaque Persona diuersum, ideo potest in genere Causæ formalis ad extra exerceri ab vna Persona quin exerceatur ab alijs. *Ratio 3tij* Quia iuxta hunc tertium sensum, Filius concurrit ad creandū tanquam Idea creaturarum producta à Patre supremo Artifice: & Spiritus Sanctus tanquam Inclinatio producta, quâ scientia Practica Patris inclinatur ad effectum; consequenter in hac sententia explodenda solus Pater est Artifex & Creator rerum, & Filius solùm est Idea, sicut & Spiritus Sanctus tantùm est Impulsus ad operandum: quod totum omnipotentiæ creatiuæ communi tribus Personis est oppositum; iuxta illud D. Athan: Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus. Vnde dicimus quòd Pater Omnipotens creat, per Virtutem quam habet à se: Filius per Virtutem quam habet à Patre: Spiritus Sanctus per Virtutem quam habet ab vtroque: ipsæ autem Personæ Diuinæ, ad creationem conueniunt tantum ratione *Huius Dei*, qui conuenit Patri à se, independenter ab omni Processione: Filio communicatiuè à Patre: & Spiritui Sancto ab vtroque.

VI. IN CREATVRIS omnibus est repræsentatio SS. Trinitatis per modum vestigij. 2. In creatura Rationali est per modum Imaginis. 3. perfectioris in Angelo: 4. à qua tamen ratione Imaginis deficit Gratia gratum faciens: 5. inquantùm tamen est participatio formalis naturæ Diuinæ, exprimit SS. Trinitatem exactiuè. *Ratio primi.* Quia quælibet creatura confusè imperfectè, secundùm quòd est quædam Substantia creata, repræsentat *Causam & Principium*, & sic demonstrat Primam Personam Patris; deinde secundùm quòd eadem creatura, habet Formam ac speciem, repræsentat Verbum Diuinum, iuxta quòd forma artificiati est in conceptione artificis procedens: & tandem secundùm quòd habet ordinem ad alterum, represensat Spiritum Sanctum, inquantùm est Amor: quia ordo effectûs ad alterum est ex Voluntate creantis. *Ratio 2di.* Quia Processiones Diuinarum Personarum attenduntur, secundùm Processionem intellectûs, per quam formatur Verbum, & secundùm Processionē voluntatis per quam formatur Impulsus: quæ duo, in anima rationali inueniuntur, .s. tam Processio Verbi per intellectum, quàm Impulsus per voluntatem; iam autem quando effectus repræsentat Causam quantùm ad similitudinem formæ eius, (sicut ignis generatus repræsentat ignem generantem, & statua Mecurij Mercurium) tunc in tali effectu inuenitur repræsentatio suæ causæ per modum Imaginis. Est tamen in homine non solùm Imaginis sed etiam Vestigij representatio. *Ratio 3tij.* Quia Ezech 28. dicitur *Tu signaculum similitudinis.* Et hoc quantùm ad expressam repræsentationem Attributorum, perfectiùs in Angelo quàm in homine refulgentium; quantùm verò ad distinctionem Personarum, expressior est similitudo in homine, ob diuisibilitatē potentiarum cognoscitiuarum in ipso: quia in homine vis cognoscitiua diuiditur in intellectum & sensum: & vis appetitiua in voluntatem & appetitū sensitiuum: quod non est in Angelo: absolutè tamen Angelus est perfectior Imago Dei quàm homo. *Ratio 4ti.* Quia sicut vestigium secundùm quòd consequitur esse perfectum à Deo, ita à fortiori ipsa Imago est quæ vt *Quod*, subsistit, & vt *Quod*, immitatur suum prototypum; iam autem Gratia gratum faciens, cùm sit Accidens, non est vt *Quod* subsistens sed tantùm est id *Quo* anima fit grata. *Ratio 5ti.* Quia Gratia est inadæquata participatio formalis naturæ Diuinæ, prout in seipsa est: prout autem in seipsa est, est Naturalium, & sic exigit causari à Tribus: nam forma participanda est necessariò ab his qui eam essentialiter habent; Hinc inseperabiliter Gratiam comitantur tres Personæ Diuinæ iuxta illud: *Ad eum*; (id est Iustum per gratiam) *Veniemus & mansionem apud eū faciemus.* Veni Veni Domine adimple quod promisisti, & per noui cordis creationem faciemus quod præcepisti, ad Gloriam Tuam Sempiternam. Amen.

TVRRIS ACRISIANA

AVREO PERFVSA IMBRE
Auro pretiosiora Tibi destinat munera
Nobilis ac Spectabilis Domine.
D. ADAME DRVZYNSKI.
CREATRIX OMNIPOTENTIA
Auro pretiosior, quæ & ipsum creauit aurum
Eam in Te condidit Naturam
Vt more ductilis auri
Aureum Te exhibeas liberalissimè Benefactorem.
ADAM ES, PRINCIPIVM HVMANITATIS
PATER EX PIETATE
In filios, quos tot numeras, quot Adoptionis Beneficio
ad Tuam admittis Liberalitatem.
Ara publicæ diceris Necessitatis
ad quam communia beantur Vota
Altiùs cæteris emines, vt Vniuersis seruias vtiliùs
magis prodesse quàm præesse desiderans.
Ipse nobilis Roraylcyorum nexus
Siue Paradisi amænitatem, siue roris cælestis affluentiam
Tibi inesse declarat vtrumque,
Nec inauratam Glabri Patris in Æde Pietatis ab Attilio
Filio locatam in Te intuemur statuam,
sed supra aurum & topazion pretiosiorem in Te ac Tua Lectissima
Consorte, ANNA deuotissima veneramur Pietatem.
Verùmtamen
Vnum Vestræ deest Felicitati
Proprios non progenuisse Filios.
Ast hoc ipsum in vestram accumulatur Benedictionem
Romano ex Exemplo.
IOANNES PATRICIVS ROMANVS
Liberorum sterilis propagine,
Suorum Bonorum
SS. DEI GENITRICEM MARIAM VIRGINEM
ex asse instituit Hæredem.
Ergo Romana sequamur præiudicata.
Namque
IMMACVLATISSIMA VIRGO MARIA
Facta & Bonorum, & Vtriusque Vestrûm Hæredissa
Rosarianis Vos exornans Coronis
Aureoque cælestis benedictionis irrorans rore
In præmium felicissimæ mansionis æternum, fiet Vobis
DOMVS AVREA.

TVRRIS MAROCCANA

VERIORIBVS INSTRVCTA SPHÆRIS

Felicisſimos Tibi defert Aſpectus
Clariſſime Nobilis ac Spectabilis Domine

D. STANISLAE SŁOWAKOWICZ

Philoſophiæ, Medicinæ, Aſtrologiæ Doctor & Profeſſor.

CREATIONIS OMNIPOTENTISSIMÆ

Sapientia, Gubernium, Virtus
Ita Tibi Rotam flexit Cæleſtem
Vt omnis Fortunæ, Honoris, Virtutis influeret in Te Beatitatem.

SVB IOVE DIVRNO

Ab incunte ætate omnium Tibi adiunxiſti Muſarum Amicitiam.

SVB MARTE TRIVMPHANTE

Immenſa Scientiarum Olympia, eo ſemper decurriſti paſſu,
Vt de arena nonniſi Victor abires laureatus,

SVB MERCVRIO ELOQVENTE

Nicoſtrati Macedonum, Periclis Athenienſium, Quintiliani Romanorum
in perſuadendo efficaciter, in pronunciando ſuauiter,
totam poſſediſti Gloriam.

SVB SOLIS ASPECTV TRINO

Patauinum Archiæſculapium Mathematicas in Iagelloniano
Lyceo emeritas dum miratur Coronas, adiunxit & Archiæſculapias.
Quàm felix hæc Planetarum coniunctio!
Æſculapius & Anaximander, Thales & Themiſon: Iulius & Theombrotus
Medicorum & Aſtrologorum Patres ac Principes pari in Te incedunt
gradu, in vno Tui ingenij Cælo firmiter iuncti.
Alexander & Epheſtion: Achates & Æneas: Damon & Pythias
tantæ cedunt coniunctioni.

Exaltationes obtinuiſti ſupremas.
Augem Conſularium Inſignium glorioſè aſcendiſti.
In Iagellonia Regia ipſe clariſſimus, cæteris claritatem communicâſti
Dum Nobiles ac Clariſſimos Viros, ritu ſolenni
D. IOANNEM DZIDOWSKI & PETRVM RENO BVRDIGALENSEM
in Medicinæ Doctores creâſti, promouiſti, denunciâſti,
Semper præcipuo dignus Honore & Amore
Quo & Ariſtoteles Platonem in Ara Pietatis
Et Ptolomæus Eraſiſtratum in munere largitatis præmiârunt.
Nec tam Charmis Maſſilienſibus, Cherias Athenienſibus, ſicut Tu nobis
Medicus efficaciſſimus & Aſtrologus Veriſſimus.
Influxus Cælorum quia optimè nôſti, ideo inter arcana naturæ non deuiâſti.
Signorum cæleſtium leges adimplêſti, quia in Zodiaco Virtutum, curſum abſoluiſti.
Naturali ſubiecta Neceſſitati, ſemper Veriſſimè prædixiſti
Quia Veriori calculo, tubo, ingenio, Imaginum cæleſtium Vultus obſeruâſti.
Etiam Secundas Stellas optimè dinumerâſti
Quia lucidiores Metropolitanæ Vrbis Planetas, Damzołouianas, Altermaierouianas,
Bellianasque intra Tuas Sphæras collocâſti.

BEROSI DIGNIOR STATVA

Cui Athenienſes ob Veriſſimas prædictiones inauratam dederunt linguam,
Tu auream cunctis ex facultate Medica & obſeruatione Aſtrologica renouas vitam.
Ergo ex Tuis Verioribus Sphæris.
Inque nouos iterum redeuntia ſæcula curſus
Scribant æthereis Te Principes ſydera faſtis.

NATVRÆ ANGELICÆ PRÆSTANTIA NATVRALIS.

ANGELI in rerum natura sunt existentes: 2. Incorporei: 3. per exclusionem materiæ tam corporalis: 4. quàm spiritualis: 5. multitudine maximi: 6. in plura eiusdem speciei athomæ indiuidua solo numero distincta immultiplicabiles: 7. ab intrinseco indestruibiles: 8. ast secundum Potentiam Dei Extraordinariam annihilabiles. *Primum* est de fide; Quia Gen: 22. Angelum supra Abrahamum inclamasse *Voce externâ*, & Virginē SS. MARIAM à Gabriele salutatā credimus. Tum quia cūm Vniversū debeat esse perfectissimum, ideo debet constare gradu Entis, Vitæ, & Intellectualitatis completæ. *Ratio 2di* Quia iuxta Psal. 103. Angelus est spiritus. T. q. Nec *per se* est Quantus, ob carentiam materiæ: nec *per accidens* ob sui eleuationem supra omnes formas vt quo corporeas. *Ratio 3tij*. Quia Angelus complete, id est ex omni principio radicante intellectionem, habet completam intellectualitatē: è contra Homo habet incompletam scilicet tantùm ex parte formæ spiritualis. *Ratio 4ti*. Quia constitutiuum materiæ primæ est ratio puræ potentialitatis; iam autem Materia spiritualis deberet esse actus formalis, quia suâ spiritualitate excederet omnes formas inferiores corporales. *Ratio 5ti*. Quia quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò in maiori excessu creata sunt: *Corporalia* in excessu magnitudinis: & *spiritualia* in excessu multitudinis. *Ratio 6ti*. Quia Distinctio tantùm numerica, prouenit à sola materia, quâ carent Angeli: vnde pluralitas si est in Angelis, necesse est eam causari per distinctionem formarum, quæ diuersitatem speciei constituit *Ratio 7mi*. Quia Existentia Angelica immediatè connectitur, perseitate non *Logicâ* sed *Physicâ*, cum Natura Angelica, ex vi creationis, habente inclinationem ad semper existendum, cùm careat materiā radicaliter ad corruptionem inclinante. *Ratio 8ui*. Quia in qualibet creatura adest Potentia obedientialis, vt Deus iuxta dominiū absolutum faciat in ea & ex ea, quidquid miraculosè voluerit operari.

II. CORPUS non habet Angelus sibi naturaliter vnitum: 2. illud tamen aliquando assumit: 3. non tamen in vnitatem Personæ illud assumere potest: 4. nec potest in eodem exercere proprias operationes vitæ, quæ terminarentur ad interiorem effectum corporis animati. 5. benè tamen aliquas similitudinarias operationes, quæ terminantur ad exteriorem effectum. *Ratio primi*. Quia Angelus ex se est forma completa: & ex se, & non ex ordine ad materiam indiuidua: ad differentiam animæ nostræ. *Rat: 2di*. Quia teste D. Aug: lib: 15. de Ciuit: Dei, apparuerunt Angeli multis, in corporibus assumptis. T. q. Patribus veteris testamenti apparendo in corporibus assumptis, eosdem de futura in carne Christi apparitione instruxerunt: *Rat: 3tij*. Quia omnis Substantia creata etiam ordinis superioris, vt possit supplere effectum subsistentiæ creatæ inferioris, omnino deberet eā in se præcontinere, *secundùm rationem communem Entis*. Et hoc soli infinitæ Omnipotentiæ competit. Nec opus Incarnationis esset miraculosum. *Ratio 4ti*. Quia Angelus corporis assumpti, non est principium intrinsecum vitale; iam autem Cuius est potentia, illius est actio: Vnde Angelus in corpore assumpto habet organa corporea, non ad eliciendas operationes vitales, sed ad repræsentandas suas proprietates intellectuales. vg. habet oculū ad repræsentandam suam scientiam. *Ratio 5ti*. Quia isti extrinseci effectus vitales, vg. locutio, risus, fletus, cùm in Angelis nec *Egressiuè*, nec terminatiuè possint esse vitales formaliter, dicuntur tantùm Metaphoricè tales: id est sicut locutio humana terminatiuè respicit effectum exteriorem s. sonum productum ex motu labiorum sese percutientium, ita locutio Angeli similem respicit effectum.

III. Locus

III. LOCUS Definitivus conuenit Angelo, non Circumſcriptiuus: 2. eſtque Angelus proximè & formaliter in loco per operationem virtualiter transeuntem: 3. proindeq; ſubſtantia Angeli non eſt ratio formalis eſſendi in loco: 4. In duobus locis adæquatis Angelus non poteſt eſſe: 5. Nec plures Angeli vt Cauſæ Principales, poſſunt eſſe in eodem loco adæquato formali: *Ratio primi.* Quia ſubſtantia Angeli ſpiritualis *hic & non alibi* eſt præſens, loco particulari, immediato, per liberam applicationem, non autem per naturalem quantitatiuam ſuperficierum locantis & locati commenſurationem. *Ratio 2di.* Quia Angelus tangit locum vt agens in illo: Vnde Agens ſpirituale per contactum virtutis, non priùs eſt applicari & coniungi paſſo, quin ſimul in illo & ex illo operetur: hinc Priùs eſt eſſe quàm operari: in linea eſſendi ſimpliciter: è contra in linea locandi *Definitiuè*, non tamen *Circumſcriptiuè*, *Ratio 3tij.* Quia ſubſtantia Angeli eſt omnino inuariabilis in linea eſſendi: iam autem Per id Angelus immediatè contingit locum, per quod in linea locandi poteſt variabiliter modò maiorem, modò minorem tangere locum. *Ratio 4ti.* Quia ab vno loco adæquato (intra quem Angelus immediatione ſuppoſiti & Virtutis operatur ſic, quòd in maiori operari non poſſit) Virtus Angelica naturalis adæquatè definitur. *Ratio 5ti.* Quia duos Angelos vt cauſas principales poſſe eſſe in eodem loco adæquato formali, eſt eoſdem vt Cauſas adæquatas eundem numero producere effectum: quòd diuinitùs implicat.

IV. MOTVS Localis reperitur in Angelo: 2. moueturque Angelus motu locali per ſe: 3. & per accidens: 4. dum mouetur Motu Diſcreto, poteſt tranſire de vno loco ad aliū, non tranſeundo per mediū: 5. & Motu Continuo nec Diſcreto poteſt moueri in inſtanti Angelico. *Ratio primi.* Quia ſecundùm fidem Luc: 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, in Ciuitatem Galilææ T. q. Angelus præditus eſt intellectu & voluntate, ideoq; poteſt cognoſcere vel appetere præſentiam in aliquo loco vel abſentiam ab illo: iam autem Appetitus præſentiæ vel abſentiæ, per potentiam locomotiuam expletur. *Ratio 2di* Quia Angelus ſucceſſiuè poteſt fieri præſens, diuerſis corporibus immotis, vel etiam diuerſis partibus eiuſdem corporis immoti. *Ratio 3tij.* Quia moueri per accidens, eſt moueri ad motum alterius ſibi coniuncti: hinc Angelus vt motor Extrinſecus coniunctus corpori mobili, ad motum illius per ſe, dicitur moueri per accidens. *Ratio 4ti.* Quia ſuppoſitâ applicatione Angelicæ virtutis ad locum A, poteſt eandem applicare ad locum D, nouam eliciendo operationem, ſine eiuſdem virtutis applicatione ad loca intermedia B. C. vnde Angelus deſerit locum A, immediatione virtutis & ſuppoſiti. & vtrâq; immediatione locum D. acquirit, tam ob ſuæ libertatis operationem, quàm ob omnimodam ex parte paſſi carentiam reſiſtentiæ. *Ratio 5ti.* Quia Motus Continuus eſt omnino ſucceſſiuus, intrinſecè in *Priùs & Poſteriùs* Diuiſibilis: ita & Motus Diſcretus eſt eſſentialiter ex duobus indiuiſibilibus, Termino *A quo* initiatiuè; & ex Termino *Ad quem* completiuè compoſitus.

V. INTELLIGERE Angeli non eſt eius Subſtantia: 2. nec Exiſtentia; 3. nec illius ſubſtantiè eſt immediatè operatiua, ſed tantùm mediante intellectu & voluntate *Ratio primi.* Quia Angelus non eſt actus purus: iam autem ſolus actus purus, eſt ſua actualitas, tam in linea *Eſſendi*, quàm in linea operandi; iam autem in Angelis intra lineam eſſendi *Eſſentia* realiter diſtinguitur ab *Exiſtentia* & intra lineā operandi Natura realiter differt tā à potentijs proximis, quàm ab ipſorum actibus. *Rat: 2di.* Quia Exiſtentia Angeli, eſt vna tantùm, tam ſecundùm ſpeciem, quàm quoad numerum; iam autem Intelligere Angeli eſt *ſpecificè* multiplex: aliud Entitatiuè *Naturale* reſpectu Obiecti Naturalis: Aliud Entitatiuè *Supernaturale* reſpectu ſupernaturalis: aliud *Participatiuè* Diuinum reſpectu Dei clarè viſi. Et etiam multiplex *numericè*, quia vnicâ intellectione intellectus Angelicus non poteſt omnia obiecta cognoſcere. *Rat. 3tij.* Quia Subſtantia cuiuslibet creaturæ eſt in potentia reali ad Exiſtentiam: iam autem Po-

tentia

tentia operatiua est in potentia ad operationem; qui duo actus *Existere* & *Operari* distinguuntur realiter in creaturis, *tum* ex limitatione, *tum* ex lineis s. Substantiali & Accidentali, primò diuersis: *tum* ex proprijs specificatiuis: *tum* ex admissione plurimarum potentiarum immediatè operatiuarum.

VI. MEDIUM Cognitionis Angelicæ ad cognoscendum seipsum, est propria ipsius Substantia gerens vices speciei Impressæ: 2. iam autem *alia obiecta à se*, intelligunt Angeli tantū per species Accidentales à Deo infusas, ab initio suæ conditionis. 3. ipsiq; Sancti Angeli quò superiores sunt, secundū gradū specificum, eò per vniuersaliores species intelligunt. *Ratio primi.* Quia Substantia Angeli *primò* ex eo quòd sit expers materiæ, est ipsâ intelligibilis in actu: *2dò* est proportionata in immaterialitate cum suo intellectu: *3tiò* est vnita & præsens eidem suo intellectui, tanquam Essentia cum sua proprietate immediata. Istæ autem enumeratæ sunt tres conditiones, quæ requiruntur vt aliquod obiectum gerat munus speciei Impressæ. *Rat: 2di.* Quia sicut corpora cælestia à die conditionis suæ, adæquatè inamissibiliter per vnicam formam cælestem sibi concretam satiantur; ita à fortiori, quia intellectus substantiæ immaterialis completæ non potest adæquatè satiari per vnicam formam intentionalē, ideo necessarium erat vt à die conditionis suæ haberet à Deo species infusas immateriales omnium obiectorum naturaliter repræsentatiuas *Rat: 3tij.* Quia Angeli quò sunt superiores in Essentia, eò sunt similiores Deo in ordine intellectuali; iam autem Intelligere plura per vnicam speciem Vniuersalem, est perfectio Diuina: consequenter Angelus ex approximatione ad Deum, per species & pauciores & vniuersaliores, *tum* multa obiecta, *tum* plures rationes intelligibiles intelliget.

VII. OBIECTUM particulare cognitionis Angelicæ, est etiam ipsemet Angelus: 2. & Deus quem cognoscit per propriam substantiam, non tamen tanquam per propriam speciem Impressam Dei: 3. Angelus inferior non comprehendit superiorem: *Ratio primi.* Quia Angelus est immaterialis forma subsistens, quæ est principium actionis immanetis s. intellectionis; iam autem Actio immanens ad sui processionem requirit, quòd obiectum vniatur agenti. *Rat: 2di* Quia substantia Angeli non repræsentat Deum nisi *vt Quod* cognita: sicut effectus similis suæ causæ repræsentat causam: vnde sicut intellectus noster ad cognoscendam causam in effectu, non indiget aliâ specie distinctâ à specie Impressa effectûs, & tamen species Impressa effectûs, non dicitur propriè species Impressa causæ; ita in Angeli Substantia comparatiuè ad Deum res se habet; & maximè cùm Angelus sit similitudo Dei non formalis, sed tantùm virtualis. *Ratio 3tij* Quia sicut intellectus noster inferior, per species suas inferiores nequit comprehendere species superiores intellectûs Angelici; ita & Angelus inferior per suas species inferiores nequit comprehendere species vniuersaliores, in intellectu superioris Angeli residentes.

VIII. FUTURA necessariò, cognoscuntur ab Angelis, abstractiuè non verò intuitiuè: 2. Futura quæ vt in plurimùm eueniunt per causas naturales, impedibiles, cognoscuntur coniecturaliter: 3. Futura omnino contingentia in Causis proximis determinationem non habentia, non possūnt ab Angelis certò cognosci, solis viribus naturæ. *Ratio primi.* Quia Angelus cognoscit Causas naturales & illorum determinationem quam habent ad producendos effectus; iā autē Notitia effectûs in sua Causa, tantū est abstractiua: sicut Notitia rei existentis in seipsa, est Intuitiua *Rat: 2di.* Quia causæ proximæ impedibiles, sunt medium contingens & fallibile, ex quo sola coniecturalis, non verò certa potest haberi cognitio: si tamen eiusmodi futura, cognoscantur in collectione omnium causarum naturalium, tunc cognoscuntur certò, quia tota collectio causarum non est impedibilis, T. q. Futura contingentia libera non possunt cognosci *Nec* in suis causis, ùt pote indifferentibus: *Nec* in seipsis, quia in seipsis sunt solùm respectu Diuini non verò Angelici intellectûs. *Rat. 3tij.* Quia

in

in linea cognitionis id quod conceditur hominibus, non debet negari Angelis: iam autem Futura omnino contingentia & libera, diuinitùs cognoscere per reuelationem, concessum est hominibus: vt patet ex S. scriprura.

IX. Secreta cordium (id est omnes actus siue inrellectûs, siue voluntatis) non possunt Angeli viribus solius naturæ cognoscere: 2. independenter ab alterius eorundem manifestatione. *Rat: primi.* Quia secreta cordium soli subsunt dominio Dei: vt dicitur 6. Paralip. *Tu nosti SOLVS corda filiorum hominum.* T. q. 1. Cor. 2. *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Ergo quia Angelus non potest illabi menti humanæ vel Angelicæ, vt in corde hominis sit & intrinsecùs operetur, ideo quæ intra mentem sunt, non potest cognoscere. *Rat: 2di.* Quia voluntas creata in suis actibus liberis, sic iure libertatis est domina suorum actuum, quòd nullum aliud dominium supra se cognoscat, nisi ipsius Dei, ideo quia à solo Deo dependet, qui *Vt vltimus Finis* plenè eam determinat: & vt *Causa Efficiens* solus ipse intra eam præuiè & simultaneè operatur.

X. Modus cognitionis Angelicæ est, quòd intellectus Angeli, nunquam sit in potentia pura, ita scilicet quòd careat habitu scientiæ respectu eorũ, ad quæ eius cognitio naturalis se extendere potest: 2. ast respectu reuelabilium diuinitùs, potest esse in potentia pura. 3. seipsum necessariò cognoscit semper: 4. Et Deũ in seipso etiã necessariò cognoscit, vt suæ Authorẽ substantiæ: 5. & intelligit cognitione tam Matutinâ quàm Vespertinâ. *Rat: primi* Quia Angeli & Cæli in hoc proportionantur, quòd sicut corpora cælestia non habent potentiam ad esse, quæ non sit completa per actum: ita Angelici intellect⁹ non habent aliquam potentiam intelligibilem, quæ non sit totaliter completa per species intelligibiles eis connaturales: *Rat: 2di.* Quia sic etiam corpora cælestia sunt in potentia vt illuminentur à sole: Angeli à sole Christo. *Rat. 3tij.* Quia Angelus ex vi creationis, à Deo Authore naturæ, ad sui cognitionem accepit omnia ad ipsam requisita s. Principium radicale, Intellectum, speciem Impressam & Obiectum (quod est eius propria sustantia, inter omnia obiecta naturaliter ab Angelo cognoscibilia, eius intellectui maximè connaturalis & proportionata) vt actu assimiliatum tali speciei: ac perconsequens motus vitalis cognitionis Angelicæ respectu sui (sicut motus animalis respectu nutritionis) semper est necessarius. *Rat: 4ti:* Quia Angelus dicit naturalem ad Deum (à quo dependet in esse & conseruari) habitudinem, quam cõprehensiuè in exercitio cognoscere non potest, nisi Deus cognoscatur in ipso, tanquã supremus Factor, in nobilissima sua factura. *Rat. 5ti.* Quia cognitio Angelica *Dies* vocatur, in quo est *Mane* principium, & *Vesper* terminus; vnde illa cognitio in Angelis dicitur *Matutina*, quæ respicit primordiale esse rei, in eius prima Causa s. in Verbo: dicitur autem *Vespertina*, quæ respicit Vltimatum esse rei s. in seipsa.

XI. Voluntas datur in Angelis: 2. ac liberũ arbitriũ: 3. nec dari potest substantia intellectiua, quæ non sit volitiua. *Ratio primi.* Quia Angeli cùm sint creati à Diuina Bonitate, necesse est quòd inclinentur in bonum Vniuersale & à se directi; iam autem Inclinatio in bonum Vniversale, dicitur voluntas. *Rat: 2di.* Quia Angeli apprehendendo Vniuersalem rationem boni, possunt eam sic apprehensam proponere voluntati, vel eandem non proponere, quòd est liberè iudicare. *Ratio 3tij.* Quia Vniuersum cùm debeat esse ex omni gradu possibili perfectum, iam defacto deberet dari talis gradus; cuius tamen experimur oppositũ. T. q. Ratio appetitiui semper sequitur ad aliquam naturam: ergo & appetitus rationalis debet consequi ad formam seu naturam rationalem ac intellectiuam.

XII. Dilectio in Angelo datur tam Naturalis: 2. quàm Electiua. 3. Et quilibet Angelus diligit Deum Vt authorem naturæ suæ necessariò quoad exercitium: *Ratio primi.* Quia commune est omni naturæ habere in se aliquam inclinationem actualem, naturalem, consequenter & in Angeli Voluntate debet esse naturalis dilectio, boni naturaliter voliti vt finis. *Rat. 2di.* Quia in Angelis à dilectione naturali, deriuatur dilectio Electiua quæ est dilectio boni dilecti propter finem: & dicitur Electiua, id est totaliter libera, & quoad obiectum, & quoad exercitium. *Rat. 3tij.* Quia Angelus cùm seipsum necessariò quoad exercitium comprehendat, eâdem necessitate cognoscit se in suo fieri & conseruari adæquatè dependere à Deo, vnde Deum & omnia illius bona cum illo connexa intrinsecè, diligit necessariò. *O Felix DEI Amor* (D. exclamat Bernardus) *ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas.* Hunc ego ô Infinitum Bonum meum, exopto amorem, vt qui te sine modo non diligo, saltim te more Angelico diligere valeam in sæcula sæculorum, Amen.

TVRRIS DIONYSIANA
GVBERNANS ET DEFENDENS

Angelos in Salutis Tuæ ministerium continet ordinatos
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. MARCE ANTONI FEDERICI
Suprema Cælestium Spirituum Agmina
Sic Diuinæ assistunt Maiestati, vt nostræ simul seruiant Vtilitati
Seraphim inflammando, Cherubim erudiendo, Throni sententiando.
Dominationes sensum rationi subiugando, Virtutes miracula operando.
Potestates quæquæ monstra inferni comprimendo.
Principatus præsidendo, Archangeli sublimiora secreta reuelando.
Angeli Personas singulares custodiendo.
Ex hac Angelica Hierarchia
Dum Tuam metiris Virtutem
Propinquiùs ad Fide ditissimam accedis Salutem.
Magnum geris Honoris nomen
Magnis Decorus Virtutibus.
Et ingenium quod felix dedit Latium, in Sarmatico coruscat orbe.
Dignitate Metropolitanâ illustris,
Gubernatoris ac Defensoris accendisti faces.
Probati pectoris Tui, non fortunæ sunt Charytes istæ,
quas coniunctim in præclaris Fabryszowijs, Kociełkouijs fabricâsti familijs.
Et tanta nobilium actionum cumulatus præstantiâ
præstantiorem habes ex Angelorum custodia felicitatem.
Nec Dionysius Rex, aut salubriora Gubernij mandata, aut efficaciora
defensionis arma vnquam de sua Turri poterat præstitisse,
Quanta Tu in gubernando & defendendo prompsisti documenta.
VI TONANS ex nomine, Leonis fortitudine Maior,
in Iustitia & Æquitate, etiam suauiores ciri ex Benignitate
& Affabilitate Tibi conciliâsti laudes.
Et quid vltra ad Tuam felicitatem desiderari poterit?
Inflammari erga Deum: Erudiri à Deo: Iudicare secundùm Deum
Politica hæc Verè est Angelica.
Dominari ratione: Virtute operari: Potestate nocentes reprimere:
Non Aristotelicam sed Diuiniorem sapit Ethicam.
Principari in difficilioribus: Tacere in secretioribus:
Non errare in particularibus:
Hierarchici est negotium meriti.
Quod dum inchoâsti feliciter, perficies & laudabiliter
Sanctis in omni Via ANGELIS
TE GVBERNANTIBVS ET DEFENDENTIBVS.

TVRRIS COSDROANA

SOLIS ET LVNÆ ÆMVLA,
Altiorem profundioris Theologiæ Quæstionem,
Lucido Tuo consecrat Ingenio
Nobilis ac Spectabilis Domine

D. MICHAEL BEHM.

Cælestis Militiæ Princeps
DIVVS MICHAEL
Solis imitatus cursum per Gratiam illuminantem,
Secutus & motum Lunæ per liberi arbitrij flexibilitatem
Supremam in Cælo mouit Quæstionem.
QVIS VT DEVS?
(Non ad argenteas quippe quas Cosdroæ gerebat Turris, Lunæ & Solis hæc Quæstio pertinebat Statuas)
Partem Negatiuam defendit ipse, Affirmantemque Luciperum
ferreis ligauit argumentis nunquam sol bilibus.
Hinc Vt Sol triumphans resplenduit
Et Vt Luna rebelles noctis Vmbras fugauit
Custos Legis Scriptæ factus, eidem vt nocti Luna præfuit
Nunc Princeps Ecclesiæ, supra Diem Euangelij vt Sol effulsit.
Et Vobis Benè Optimi Behmij
Suos Divus Michael abundanter communicat splendores.
Quibus in Sarmatico Polo ac Metropolitana Vrbe refulsistis.
CLARISSIMVS PARENS MICHAEL
Semper in splendoribus Virtutis & Honoris, Philosophiæ & Medicinæ Doctor,
Metropolitanus Consul, Sacrum Æsculapij Altari dicatum thymiama,
Patauinarum Gloria Laurearum. Vniuersale Publicæ Alopeciæ, Linguâ, Manu.
Consilio, Elixir: Cuius Honori, tot Colossi Rhodiani quot Magni Behmorum consurrexêre Atlantes.
EXCELLENTISSIMVS IOANNES PHILOSOPHIÆ DOCTOR ET PROFESSOR
Ad cursum Virtutis citiùs præcurrens, in Iagelloniano Archicirco, Stageriticis
enutritus Colyphijs, etiam extra Sarmaticum excurrens Circum, Eruditionis,
Prudentiæ, Pietatis, ac dulcioris Affabilitatis æquales ad circumferentiam descripsit
Virtutum lineas, ad metam Solis semper medio tutissimus procedendo.
RELIGIOSISSIMVS MARTINVS S. T. DOCTOR ET PROFESSOR
Qui Sceptrigeræ Matris humaniorum quàm publicorum studiorum lacte educatus,
etiam Igne Eliano Sacri Carmeli Arenensis accensus, ad centrum altioris
Sphæræ collimans, Sacræ Theologiæ Doctoralem Palmam de Sceptrigeræ
Matris Manu obtinuit: Historiographus Prouinciæ Polonocarmelitanæ
à Reuerendissimo Generali destinatus, quorum scripsit sancta, in se expressit
exempla; In Prouincialibus Capitulis Socius & Secretarius sæpenumerò
factus, omnibus se amabilem exhibuit Dulcis Conprofessor.
Hæc Behmorum ad Angelicos mores exercitata Virtus
Parem Te Solis & Lunæ agnoscit æmulum
MICHAEL LECTISSIME.
Tua in arduis actiuitas Te plusquam hominem demonstrat
Qui nec blandientis Vulgi moueri Fauonijs
Nec contradicentium cedere Aquilonibus nôsti.
Angelicam gerens mentem, TE CONSVLE dignum propalas Iudicium
Sol Tibi Veritas, ex qua triumphas: Luna Plena, Iustitia ex qua iustam
Lunaris geris administrationem: Pietas, Theologia ex qua, Quis vt Deus?
optimè didicisti, dum in Parte Negatiua contra Luciperiana monstra Victor persististi?
Iure merito Metropolitanus es Angelus Terrestris
Qui Metropolitanis Familijs cælesti pietate, & gloriâ Virtutum splendentibus
Pryamiorum, Cyrorum, Lochmanorum, Krauzorum, Turczykorumque Tibi deuinctis,
Custodiam Honoris exhibere: Familiaritatis affabilioris Præsentiam
non denegare, Angelicum semper reputâsti.
Ergo pro tantis in Te collatis Dei Beneficijs, sit ex Te
SALVS HONOR & VIRTVS OMNIPOTENTI DEO.

NATVRÆ ANGELICÆ

Beatitudo naturalis & ſupernaturalis, Illuminationes, Locutiones, cæteraque miniſteria: necnon rebellium ſpirituum Malitia, Primum peccatum, & Pæna.

ANGELI fuerunt creati in beatitudine naturali. 2. non tamen ſupernaturali: 3. vnde ad conuertendum ſe in Deum, vt beatitudinis ſupernaturalis obiectum indiguerunt Gratiâ Auxiliante, tantâ indigentiâ, quòd ſine illa non potuerunt conuerti. 4. Omnes ſtatim à principio habuerunt Gratiam ſanctificantem: 5. quam tamen acceperunt per propriam diſpoſitionem: 6. licet eam non meruerint, 7. meruerunt tamen per ipſam æternæ gloriæ beatitudinem. *Ratio primi.* Quia Angeli à principio ſuæ conditionis habuerunt Dei vt Authoris naturæ cognitionem & dilectionem perfectiſſimam, neceſſariam, & inamiſſibilem, ad quam natura Angelica Viribus ſolis peruenire potuit; iam autem Beatitudo naturalis conſiſtit in cognitione & dilectione Dei, vt Authoris naturæ perfectiſſima, tam *quoad Subſtantiam*, vt prima cognitio quâ Angelus per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſcit, ſit inſeparabilis & neceſſaria: quàm *quoad modum*, vt illa operatio ſit recta rectitudine morali, liberâ, & potenti deficere *Ratio 2di* Quia Beatitudo ſupernaturalis conſiſtit in clara Dei viſione Vt eſt in ſe; iam autem Angeli ab initio creationis ſuæ non viderunt Deum vt eſt in ſe Authorem Gloriæ; aliàs alij nunquam peccaſſent, quia viſio beatifica iungit intellectum cum Prima Regula rectæ operationis. *Ratio 3tij.* Quia voluntas Angelica non poteſt ferri in Deum beatificantem ſupernaturaliter, niſi adiuta per auxilium gratiæ; ſicut & homo omni gratiâ deſtitutus, non poteſt conuerti in Deum ſupernaturalem quia beatitudo ſupernaturalis, eſt ſupra naturam cuiuſcunq; naturæ creatæ, indebita, & impoſſibilis ſine gratia; iam autem Appetitus rationalis non poteſt ferri in id quod eſt ſupra facultatem virtutis propriæ. *Ratio 4ti.* Quia ſicut Deus in prima creatione mundi, omnibus creaturis indidit rationes ſeminales, tanqvam ipſorum naturæ debitas proprietates: ita congruum fuit quòd Deus in prima creatione ſpiritualis creaturæ infunderet Angelis gratiam ſanctificantem, quæ eſt ſemen omnium donorum ſupernaturalium. *Ratio 5ti,* Quia Angeli in primo inſtanti, ex auxilio ſupernaturali, per motum liberi arbitrij ſe ad eam præparauerunt: & quò perfectiores fuerunt in naturalibus, eò intenſiorem gratiam & gloriam receperunt; non ex hoc, quòd naturalis vnius Angeli maior perfectio naturalis, extiterit Deo cauſa motiua conferendi eidem maiora dona ſupernaturalia, ſed in hoc ſenſu, quòd Deus ex mera ſua liberalitate & ſapientia voluerit eos Angelos maioribus donis gratiæ exornare, quos perfectioribus naturæ dotibus decorauit. Sicut ædificator ad expoliendam domum expoliens lapides, eò ipſo quòd aliquos pulchriùs & decentiùs polit & aptat, videtur ipſos ad nobiliorem partem domûs ordinare. *Ratio 6ti.* conſtat ex illo communi Axiomate. Principium meriti non cadit ſub merito. Et ideo CHRISTUS in primo inſtanti conceptionis ſuæ gratiam non meruit, quamuis ad illam ſe diſpoſuerit, per actum liberi arbitrij adiuti ex motione ſupernaturali. Et idem de Angelis cum proportione dicendum. *Ratio 7mi.* Quia Beatitudo perfecta eſt Vltimus finis: hunc autem finem ſolus Deus habet per naturam: reliqua verò eundem aſſeqvuntur per operationem prout adiutâ à gratia: Ergo & Angeli conſecuti ſunt beatitudinem ſupernaturalem per operationes ex

gratia

gratia procedentes, priores beatitudine non solum naturâ sed etiam duratione; nam talis modus merendi beatitudinem, est connaturalissimus, semper merito effectiuè concurrente ad causandum præmium.

II. ILLUMINATIO datur in Angelis, quâ vnus verè & propriè alium illuminat: 2. per solam propositionem obiecti accomodatam capacitati inferioris scilicet conceptus suos partitos & particularizatos iuxta captum inferioris ordinando ad illum: *Ratio primi*. Quia inter Angelos est ordo superioritatis & dignitatis, quo inferiores exceduntur à superioribus: hic autem ordo maximè elucet, si supremus Angelus immediatè à Deo veritatem addiscat, & Angelus alter immediatus inferior, eandem à superiori immediato Angelo, tanquam à Doctore Discipulus addiscat, & sic deinceps vsq; ad infimum: sic enim datur ordo intelligibilitatis, iuxta ordinem superioritatis & dignitatis, seruatâ causalitate illuminationis. *Ratio 2di*. Quia Angeli superiores cùm vniuersaliores habeant species obiectorum repræsentatiuas, ideo necesse est, quòd Angelus superior volens communicare Angelo inferiori veritatem à Deo acceptam, debet ipsam diuidere & particularizare, vt Angelus inferior eandem percipere possit iuxta modum & capacitatem suam: vnde duo debent concurrere ad illuminationem: *Primum est* Ostensio & manifestatio Obiecti, priùs ab Angelo inferiore incogniti: & hæc ostensio consistit in hoc quòd Angelus superior veritatem aliquam in vniuersali acceptam, priùs veluti masticet, diuidat, sicq; diuisam & masticatam proponat per locutionem Angelo inferiori; *alterum est*, Confortatio potentiæ Angeli inferioris, quæ consistit in hoc, quòd Angelus superior illam veritatem in vniuersali acceptam masticando & diuidendo, communicat ei lumen intellectûs quo eam illuminat, & hoc ipso reddit illam proportionatam intellectui Angeli inferioris; sicut Magister iuxta capacitatem discipuli proponendo veritatem eundem illuminat, & illius confortat intellectum.

III. LOCVTIO mutua datur inter Angelos: 2. quæ fit per hoc quòd vnus voluntariè dirigit conceptus suos ad alterum Angelum *Ratio primi*. Quia Isaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum* SANCTVS. T. q. Ad perfectam Angelorũ societatem necessaria est mutua secretorum & voluntatum patefactio : quæ fit per locutionem. *Ratio secundi*. Quia quilibet Angelus plenum habet dominium supra suos conceptus internos: vnde vt Angelus constituatur *Loquens* debet dominium suum communicare alteri Angelo, & tunc alter Angelus iam erit *Audiens*, quia ea de quibus est locutio iam pertinent ad ipsum, ex communicatione dominij.

IV. HIERARCHIA ex parte Principis est vna: 2. ex parte multitudinis alia est Angelica alia humana: 3. Angelica Hierarchia triplex: 4. Et quælibet Hierarchia habet tres Angelorum ordines: 5. Et quilibet Ordo plures Angelos numerat. *Ratio primi*. Quia Hierarchia est sacer principatus eorum, qui in sacris communicant, id est qui à Deo specialibus illuminationibus reguntur: isti autem sunt tantùm boni Angeli & boni homines, quibus vnus tantùm est supremus Princeps DEUS. *Rat: 2di:* Quia vnus Principatus est, secundùm quòd multitudo vno & eodem modo potest Principis gubernationẽ percipere; iam autem Angeli percipiunt gubernationem ac illuminationem à Deo, secundùm puritatem intelligibilem: & Homines secundùm similitudines sensibilium, ideoq; Hierarchia Angelica distinguitur ab Humana. *Ratio 3tij*. Quia etiam Angeli non eodem modo illuminantur de Diuinis rationibus & secretis: nam *Supremi* Diuina secreta percipiunt in ipso Deo: *Medij* eadem vident in causis vniuersalibus creatis: *Infimi* eademmet intuentur in causis proximis. *Ratio quarti*. Quia Hierarchia est vna multitudo ordinata, quæ requirit pluriũ partium inter se coordinationem, secundùm diuersos actus & officia : & omnis ista diuersitas reducitur in communi ad tria s. Ad Summum, Medium, &

Infimum

Infimum: vt patet in multitudine Ciuitatis ordinata. *Ratio quinti.* Quia sicut Hierarchia est ordinatio graduum: ita Gradus (qui etiam dicitur Ordo) est ordinatio personarum eiusdem gradûs; iam autem plures sunt Angeli eiusdem gradûs: vg. plures Seraphim vt docetur Isaiæ 6to.

V. Præsidentia Angelorum necessaria est supra creaturam corporalē: 2. quorum potestati quælibet natura corporalis subiecta est immediatè quoad motum localem: 3. Miracula facere est extra actiuitatem virtutis Angelicæ: 4. Homines illuminare possunt: 5. ast voluntatem humanam interiùs mouere non possunt. *Ratio primi.* Quia potestas corporea est particularis, & Angelica est Vniuersalis; iam autem Omnis potestas particularis regitur per vniuersalē: & maximè corporea per Angelicam, ad explenda Diuina mysteria. *Ratio 2di.* Quia inter omnes motus corporeos perfectior est motus localis, vt pote excludens potentiam ad aliquid intrinsecum; iam autem Natura inferior in sui supremo attingitur à Natura superiori, iuxta illud D. Dion: 7. cap. de Nom: Diu: Diuina sapientia coniungit fines primorum principijs secundorum. *Ratio 3tij.* Quia facere miracula soli Deo competit: iam autem quidquid Angeli operatur propriâ virtute, non extra sed intra ordinē naturæ operantur. *Ratio 4ti.* Quia Angeli, *Et* proponunt veritatem intelligibilem hominibus sub similitudinibus sensibilium: *Et* suâ actione confortant intellectum humanū; etenim Illuminatio est manifestatio obiecti, & confortatio potentiæ. *Ratio 5ti:* Quia solius est Dei immutare voluntatem ad intra, nam Deus est Creator voluntatis nostræ, & eiusdem Primum Principium tam in ratione Entis, quàm in ratione liberi.

VI. Missio Angelorum est à Deo: 2. in ministerium. 3. & qui mittuntur Assistentes non sunt: 4. licet missi sicut & Assistentes Deum videant per Essentiam. *Rat:* 1. Quia Angelus procedit à Deo, vt ibi sit, vbi priùs non erat, non enim est vbiq; cùm sit Agens particulare; iam autem Mitti illud dicitur, quod ab alio procedit, vt incipiat esse vbi priùs non erat. *Rat:* 2. Quia Angeli nutu & Authoritate Dei Imperantis operantur: vnde eorum Actio quam exercent in creaturam corpoream incipit à Deo, & ordinatur ad Deum, & fit vt obediatur Deo supremo Principi. *Rat:* 3. Quia Assistentes illi dicuntur, qui immediatè illuminantur ab ipso: Ministrantes verò qui mediatè de agendis illuminantur, & ad eadem exequenda, motu locali mittuntur. *Rat:* 4. Quia Christus dixit: Math: 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est:* ideoq; ex parte Visionis beatificæ, æquales sunt Assistentes & Ministrantes.

VII. Custodia hominum bonis demandata est Angelis: 2. ita vt singuli homines à singulis Angelis custodiantur: 3. Personis Publicis præter particularē deputatur Angel⁹ officij: 4. Christ⁹ Domin⁹ non habuit Custodē Angelū: 5. Beatissima V. Maria habuit: 6. imò etiam pessimus Antichristus eundem habebit. *Rat.* 1. Quia iuxta Psal: 90. *Angelis suis Deus mandauit de te vt custodiant te.* T. q. Diuina Prouidentia statuit, vt mobilia regulentur per immobilia. *Rat.* 2. Quia sicut diuersis speciebus rerum, diuersi Angeli eiusdem ordinis præficiuntur: ita rationabile est, vt ex Diuina Prouidentia diuersis hominibus diuersi deputentur Angeli. *Rat.* 3. Quia officia quæ ad multitudinem pertinent, diriguntur per Principatus vel Archangelos: vnde homo in prælatione constitutus, in his quæ ad regimen multitudinis pertinent, illuminatur ab Angelo superioris Ordinis. *Rat:* 4. Quia Anima Christi, omnibus Angelis superior quoad gratiam, non quoad naturam, immediatè à Verbo Diuino illuminata fuit. *Rat:* 5. Quia Beatissima V. Dei Genitrix Maria, ad acquirendum augmentum gratiæ, indiguit ministerio Angelorum, per modum remouentis impedimenta, vt mens eius purissima, ab omnibus curis sæculi libera, soli semper vacaret Deo. *Rat:* 6. Quia sicut præsciti in iudicium, & infideles etiam cum Antichristo, non priuantur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non priuantur exteriori auxilio diuinitùs concesso toti naturæ humanæ: s. custodia Angelorū per quam arcentur à multis malis, ne sibi magis & alijs nocere possint.

VIII. Peccatum repertum est in Angelis desertoribus: 2. nullaq; potest dari creatura intellectualis, quæ ex natura sua sit impeccabilis simpliciter: 3. Nec Potuit Angelus peccare in primo instanti creationis suæ contra legẽ quã cunque 3. *Primum* est de Fide. Ezech. 28. *Inuenta est iniquitas in te. Ratio. 2di.* Quia omnis natura intellectualis creata, hoc ipso quòd sit *ex nihilo*, est defectibilis in suo esse; consequenter & in operari. Et quoniam hoc ipso quòd creatura est defectibilis in modo operandi physicè, est etiam defectibilis in attingentia Obiecti & finis, ex qua sumitur rectitudo seu bonitas operationis moralis: subindeq; defectibilis in modo operandi etiam moraliter. *Rat: 3.* Quia Angelus in primo instanti creationis suæ primum iudicium pract cũ habet indispensabiliter & specialiter sibi à Deo infusum prout à primo motore speciali: vnde si in tali primo dictamine, & in actu voluntatis per illud regulato defectus error & peccatum reperiretur, ipsi Deo vt authori speciali tribueretur: nam operatio quæ incipit cum esse rei, inest ei ab agente à quo habet esse.

IX. Peccatum Primum in Angelis fuit peccatum Superbiæ: 2. cuius obiectum excellens fuit appetitus inordinatus quo appetit esse Deus: 3. per similtudinem quandam proportionalem: *Rat: 1.* Quia Isaiæ 14. dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua.* Tum quia, Primum peccatum Angeli debuit consistere in affectu ad aliquod bonum spirituale (nam Angelus incapax est affectûs efficacis circa bonum corporale) qui affectus cùm nequiret esse deordinatus ex parte obiecti vt pote boni, consequenter debuit esse deordinatus, tantùm ex parte modi appetendi illud s. absq; subiectione ad regulam superioris tanquam mensurã, dignitatis propriæ; iam autem Superbia est, nolle subijci regulæ superioris tanquam Mensuræ, dignitatis propriæ: sicut Inobedientia est nolle subijci regulæ superioris tanquam Legislatoris. *Rat: 2.* Quia iuxta Ezech: 28. *Dixisti. Deus ego sum.* Contra quod dictum S. Michaël præliari cæpit exclamans: *Quis vt Deus?* consequenter Superbia Luciperi fuit appetitus inordinatus quo appetijt esse vt Deus similitudinariè.

X. Pæna Dæmonum maxima, est expulsio à Visione beatifica: 2. mansit tamen in illis post peccatum integra cognitio naturalis: 3. voluntas illorum in malo obstinata, nullum opus bonum morale facere potest 4. alligunturq; physicè ad loca pænalia per hoc, quòd ignis inferni producat instrumentaliter quasdam Qualitates in dæmonibus, retardantes & impedientes potentias eorũ operatiuas. *Primum.* constat Math: 24. *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Vnde pæna ignis infernalis, est terminus *ad quem* secundarius ob commissam culpam, sed primarius est Expulsio à visione beata, per quam summi Boni vt est in se intuitiuà ac satiatiuâ priuantur possessione. *Ratio 2.* Quia post peccatum in dæmonibus mansit tam intellectus integer quàm species illis infusæ, & ab eius Essentia naturaliter exactæ. *Ratio 3.* Quia diabolus est in statu damnationis; iam autem status damnationis importat carentiam omnis auxilij sufficientis procedentis à Diuina gratia, requisiti ad bona opera salutaria facienda; & etiam importat carentiam omnis auxilij efficacis ad aliquod bonum morale Ordinis naturæ; sicut status purgatorij importat carentiam & exclusionem omnis peccati actualis ibidem committendi. *Rat: 4ti.* Quia attestante D. Petro 2. Ep. c. 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Cruciantur autem dæmones per alligationem physicam ad ignem & ad locum ignis, ita quòd physicè impediantur & retardantur eorum potentiæ ne alibi operentur quàm in illo inferni determinato loco partialiter. Et talis alligatio est illis summè molesta, *primò* quia se opponit valdè, amplæ eorum naturali libertati, ratione cuius deberent se locare vbi Vellent: *Secundò* opponit se eorum Excellentiæ spirituali, ratione cuius deberent dominari omni corpori; hic autem ineuitabilem ab igne corporali patiuntur seruitutem. O Verè horrendã timendamq; gehennam, in qua attestante D. Gregorio *Mors sine morte, finis sine fine, quia Mors ibi viuit, & finis semper incipit.* O misericordissime Domine exclamo cũ S. Augustino: *Hic Vre, hic seca, modò in æternũ parcas,* & cum D. Fulgentio lachrymabiliter supplico *Domine da mihi modò patientiam, & postea indulgentiam.* Per Christum Dominum Nostrum Regem Angelorum. Cui honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

TVRRIS THESAVRARIA ROMANA

VT OMNIBVS PROSIT

Angelicos Gratiarum Tibi fundit Thesauros
Nobilis ac Spectabilis Domine

D. IOANNES PAVLE FRYZNEKER
S. R. M. Secretarie.

Summa Angelicæ Naturæ Beatitudo
Felicitatis Tuæ arguit summam,
Ita Dotes quas illis natura obtulit à principio essendi præstantissimas,
Tibi Heroicus labor præstiterit ex condigno meriti floridissimas.
Excelsa animi Tui indoles egregia, extra iudicium ætatis fuit,
Cuius etiam in Vere, Autumnali fructum ipse Honor
gloriosâ refulsit coronâ.
Scribentes & Assistentes vt in Te exprimeres Angelos
Publicæ Totum Te dedicâsti Vtilitati.
Aurea Neronis Domus soli ipsi profuit ad luxum,
Tuus Aureus Veritatis in Metropolitano Notariatu Stylus
seruit Vniuersis ad Boni Publici æuiternam lucem.
Nec Spintharus sumptuosiùs Delphicum construere poterat Fanum
Quanto Tu Virtutum præstantissimarum nexu
Consularis Dignitatis exædificâsti Iusti & Æqui Oraculum.
Bizantum muros Milesio quadrato lapide in Vnam structuram compactos
faciliùs est disgregare
Quàm Te è quadrata sententiæ rectæ statione reuocare,
Namque Angelicum est, semel electa, tenere inflexibiliter.
Sed dum Angelos imitaris, simul Magni Parentis Tui
proximiora rimaris Vestigia Virtutis.
Qui in Metropolitano Senatu
Virtute, Meritis, Annis, Loco, Dignitate, Voce,
Consilio, Mandato, Executione
PRIMVS AD OMNIA PAVLVS.
Inexpugnabilem Tanti Herois Vngaria experta est animum
Quam ille, quia Ciuis Patriæ, quia Pomi Aurei Custos, quia
Nobilis Panoniæ Indigena, Substantiâ, Honore, Vitâ,
à Machumetica absoluerat Tyrannide
Skandeberkouianæ zelator Fortitudinis.
Gentilitiæ Virtutis ac Nobilitatis Aurea Stemmata, Aquilæ sacrauit Sarmaticæ
Quibus etiam Metropolitanæ fulgerent Turres.
Tanto Tu Totus Simillimus Patri.
Nobilitate, Virtute, Honore, Labore, ac multiplici quem Consularis
Luchinorum reaccendit nexus splendore,
Publicum in Te extruxisti Virtutis Thesaurum.
Publicâ omnium Te immortalitati commendante Voce.
Ecclesiæ, Patriæ, Vrbi, Doctis, Amicis, Necessarijs.
VT OMNIBVS PROSIS.

TVRRIS ELEPHANTINA
CANDORE ET ROBORE NITENS

Cum candore & robore Angelico
Ad Tui candoris & roboris declinat Fortalicium.
Nobilis ac Spectabilis Domine

D. GEORGI KĘNTZ.

Ad Candorem Lucis Æternæ
Angeli zonâ puritatis præcinguntur.
In Omnipotentiæ Diuinæ Archigymnasio
Etiam cælestes dirigere machinas instruuntur.
Et Tu in Candore Virtutis, & Robore Stabilitatis, ex Vtroque Cæsar es,
Hoc duplici munere Deus Tuas decorat dotes
Quas qui dignè non æstimat, in candidam Virtutem peccat & Senium.
Centuriata pro Bono Communi merita
Eius Te roboris Maximum Voluêre Virum
Qualem sæcula optare possunt, tamen videre rarò.
Pondus Diei & Æstûs, multis annorum lustris
Meritissimus Populi sustinuisti Tribunus.
Eòque omnem direxisti conatum
Vt is suaui & forti legum concentui, dulci correspondenet harmoniâ.
Candido ex animo Senatui adscribi promeruisti,
Cuius Togam ad exercendam fortiùs Virtutem assumpsisti
CHARVS, DILECTVS, GRATIOSVS, CANDIDVS SEMPER,
Candidis enutritū moribus, ac Candido Academici Pectoris instructū animo,
duplicique coronatum Lauro Filium
Candidiori quia Seraphico consecrâsti Ordini.
Præclaras Virtute, Antiquitate non fractas,
Clarissimorum Łopaccyorum, Winclerorum, Lupiorum, Barcinscyorum
fæderato nexu coadunatas Familias
Stylo Elephantino, Vt adscriberes Ebori Tuo
Solo candore decertâsti,
Candidus in Filijs, Solatus in Nepotibus.
Trabeatâ temperatus Dignitate.
Suppares Cracouia tanto ponderi & oneri inuenit humeros
Quia Elephantinos.
Quodsi Trecentis Elephantes dicuntur viuere annis.
Et Tuus Elephantinus Candor
Tercentos Transcendet Olympiadas
Immortalitas ominatur Angelica
Georgianum persuadet Robur.
Et Incorruptibilis ominatur Candor
TVO EBORI CANDIDO.
FIAT, FIAT, FIAT.

STATVS INNOCENTIÆ
PRIMORVM PARENTVM
IN PARADISO TERRESTRI HABITVS.
Aliorumque ſtatuum naturam humanam concommitantium
DIVERSITAS.

STATVS INNOCENTIÆ eſt primus, importans Priuilegia nobiliſſima, quæ Deus T. O. M. noſtro Prothoparenti Adamo, tum pro ipſo, tum pro nobis illius poſteris munificentiſſimè contulerat, quæ priuilegia ſex numerantur.

Primum PRIVILEGIVM Adamo collatum, fuit Iuſtitia Originalis, ſtatim eidem in ſui formatione infuſa, animam ſanctificans: 2. intellectum Fide ſupernaturali, Voluntatem verò Spe ac Charitate Theologicâ, nec non alijs donis Spiritûs Sancti ac Virtutibus moralib⁹ infuſis irradians: 3. Vnde hæc Iuſtitia Originalis adæquatè ſumpta, prout ſ. includit omnia dona ac perfectiones, non erat vna ſimplex qualitas val habitus: 4. inadæquatè autem id eſt ſecundùm perfectionem primariam quam ponebat in anima, tanquam radicem & originem cæterarum conſiderata, erat habitus ſimplex & eiuſdem ſpeciei cum noſtra gratia ſanctificante.

Ratio primi Quia iuxta Eccl: 7. *Fecit Deus hominem rectum.* Rectitudo autem hominis quantùm ad animam, de qua loquitur S. Scriptura, attenditur penes conuerſionem ad vltimum finem: & talis conuerſio eſt effectus gratiæ ſanctificantis, ac charitatis ſupernaturalis.

Ratio 2di. Quia ſicut ad animam rationalem tanquam ad principium radicale conſequuntur intellectus & voluntas, ita ad Gratiã ſanctificantẽ conſequuntur Virtutes Theologicæ, quæ ſubiectantur in intellectu & voluntate. Vnde Adã omnes Virtutes partem inferiorẽ cũ ſuperiori cõponentes habuit *quoad actum* quæ nullam important imperfectionem v. g. Iuſtitiam, *& quoad habitum* quæ aliquã important imperfectionem v. g. miſericordiam.

Ratio 3tij. Quia vnus & idem habitus non poteſt diuerſas corporis & animi facultates regere, aut in ſubiectis tam differentibus reſidere; iam autem Iuſtitia Originalis includit multas rectitudines: *primò* ſubiectionem corporis ad animam, *2dò* Appetitûs ſenſitiui ad rationem, *3tiò* ſubiectionem rationis ad Deum. Et hæc tertia eſt cauſa ſecundæ, & ſecunda primæ. Quæ rectitudines in diuerſis reperiuntur ſubiectis vt de ſe patet.

Ratio 4ti, Quia Iuſtitia Originalis primordialiter pertinebat ad eſſentiam animæ; iam autem Gratia ſanctificans primordialiter reſidet in anima: Virtutes autem reſident in potentijs animæ. Vnde ſicut v. g. Logica Docens & Vtens eſt vnus Habitus, & tamen diuerſa ſortitur nomina, ex diuerſo munere: ita eadem quoad eſſentiam Gratia & Habitus dicitur *Gratia Sanctificans* quatenus eſt Cauſa ſanctitatis; & principium meriti Vitæ æternæ: & dicitur *Iuſtitia Originalis*, quatenus erat radix triplicis ſubiectionis ſ. Corporis ad animam: partis inferioris ad ſuperiorem: & rationis ad Deum: Differunt tamen inter ſe *Modaliter* quia Gratia ſanctificans quæ nobis nunc confertur, non eſt radix doni integritatis, ſubiectionis, immortalitatis: quorum omnium Iuſtitia Originalis fuerat radix.

SECVNDVM PRIVILEGIVM Adæ collatum, fuit Cognitio ineffabilis myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis: 2. ac plenitudo ſcientiæ omnium naturalium: 3. etiam ipſius Dei vt Authoris naturæ: 4. non tamen eiuſdem Viſio per Eſſentiam: 5. in illoque feliciſſimo ſtatu antequam peccaret nec decipi aut errare: 6. nec etiam venialiter peccare valuit.

Ratio primi Quia Adam in illo feliciſſimo ſtatu habuit Fidem Theologicam, cuius obiectum ſunt Articuli tam ad Diuinitatem quàm ad Vnionem Hypo-

ſtaticam

ſtaticam pertinentes. Ideoque ex reuelatione cognouit Adam myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis: Myſterium Incarnationis cognouit quantùm *ad Subſtantiam*, non verò quantùm ad *Motiuum*, inquantùm .ſ. ordinabatur ad redemptionem generis humani, & ſatisfactionem pro peccato originali: non enim Adam præſcius fuit peccati ſui: cùm enim peccatum ſit malum maximum etiam vt imminens apprehenſum, ideo cum florentiſſimo Innocentiæ ſtatu non eſt compatibile.

Ratio 2di. Quia Adam inſtitutus eſt vt eſſet principium non ſolùm quoad generationem, ſed etiam quoad inſtructionem & gubernationem; ideoque vt ſapientiſſimus impoſuit nomina rebus.

Ratio 3tij. Quia in illo ſtatu Adam videbat Deum per ſpeculum *clarum*: nos nunc per *obſcuratum* ob peccatum. Beati in Patria Facie ad Faciem.

Ratio 4ti. Quia videns Deum per Eſſentiam, peccare non poteſt; iam autem primus homo per propriam Voluntatem auerſus eſt à Deo.

Ratio 5ti. Quia Error & Deceptio per ſe pertinent ad malum pænæ; iam autem in Paradiſo deficiente culpâ, non poterat adeſſe pæna.

Ratio 6ti. Quia ex vi doni Integritatis, ſtatus Innocentiæ, ab intrinſeco exigebat præſeruare hominem ab illis peccatis quibus non amitteretur: & talia ſunt peccata venialia; iam autem ab intrinſeco non exigebat præſeruare hominem ab alijs peccatis quibus amitteretur & corrumperetur: & talia ſunt peccata mortalia: ideoque in illo ſtatu non potuit homo peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter. Et dato quòd Deus impoſuiſſet præceptum obligans ſolùm ſub veniali, adhuc Adamus non potuit traſgredi tale præceptum, niſi poſt amiſſam Iuſtitiam Originalem: quia non poterat deordinari circa media, priuſquā eſſet deordinatus circa finem. Et quamuis Deus potuiſſet *abſolutè* imponere tale præceptum ſub veniali tantùm, non tamen *ex ſuppoſitione* ſtatûs Innocentiæ, in quo ex perfecta ſibi ſubiectione appetitûs ſenſitiui ad rationem, & rationis inferioris ad ſuperiorem, & ſuperioris ad Deum vltimò finalizantem, nullum peccatum eſſe potuerit.

TERTIVM PRIVILEGIVM fuit Poteſtas & Dominum *primò* in omnia animalia ijſdem imperando: *2dò.* in omnia inanimata & plantas ijſdem vtendo: *3tiò* principaliter in ſuas Vires ſenſitiuas. .ſ. in Iraſcibilem & Concupiſcibilem per imperium eaſdem rationi ſubijciendo: *4tò* in omnes homines eos gubernando, non dominio ſeruili & deſpotico, ſed regali & monarchico: *5tò.* Fuiſſetque inter homines æqualitas quoad ſubſtantiam in illo ſtatu ſi perſeueraſſet: & inæqualitas in accidentibus.

Ratio primi. Quia imperfectiora ſunt ad vſum perfectiorum; iam autem Homo eſt quid perfectum. T. q. Prouidentia Diuina ſemper inferiora gubernat per ſuperiora. T. q. Illud quod eſt per participationem, ſubditur ei quod eſt eſſentialiter ſeu vniuerſaliter tale; iam autem in ſolo homine eſt prudentia vniuerſalis, gubernatiua, & practicè imperatiua.

Ratio 2di. Quia ſicut viribus naturalibus & ſuo corpori homo dominatur, non quidem imperando ſed vtendo: ita etiam iuxta aliquem modum dominij, quo dominatur exiſtentibus in ſeipſo, dominatur inanimatis & plantis, ijſdem vtendo. *Ratio 3tij.* Quia in illo ſtatu ſicut Deus dominatur homini inferiori per imperium, ita homo ordinatè ſubiectus Deo dominabatur etiam per imperium *Iraſcibili* quæ eſt potentia actiua, cuius actualis tendentia eſt per modum actionis in obiectum bonum, id eſt acquirendo victoriam ſupra id quod eſt aduerſum naturæ, & ſemper ſequitur apprehenſionem Æſtimatiuæ: Deinde *Concupiſcibili*, quæ eſt potentia paſſiua, cuius actualis tendentia eſt per modum recipientis, in obiectum delectabile, trahendo illud (non intentionaliter prout trahit ad ſe potentia cognoſcitiua) realiter vt recipiatur in ipſo animali: & ſemper ſequitur apprehenſionem Imaginatiuæ, Quæ duæ potentiæ ex coniunctione ad intellectum in eodem ſuppoſito ſunt perfectiores quàm in alijs animalibus, ideoque capaces gubernij & natæ ad obedi-

endum

endum rationi. *Ratio 4ti.* Quia Dominium feruile & defpoticum importat ordinationem fubditi ad bonum Domini; confequenter importat triftitiam ac pænam florentiffimo illi ftatui repugnantem. Iam verò Dominium monarchicum & regale importat ordinationem fubditi, ad bonum ipfius fubditi *Vel* ad bonum commune. Vnde libenter in illo ftatu, inferiores fuperioribus, minùs doctiores doctiffimis, minùs fanctiores fanctiffimis fubijcerentur propter fe. T. q. In illo ftatu homo erat animal fociabile Ergo opus erat vno dirigente & intendente bonũ. *Ratio 5ti.* Quia in illo ftatu, ftante vnitate fpecificâ, tam quoad naturam, tam quoad gratiam, poterat effe diuerfitas, *tum* ex parte corporis, & quoad fexum, ætatem, & complexionem: *tum* ex parte animæ per liberum arbitrium operantis, ideoque iuxta voluntariam applicationem quidam magis quidam minùs profeciffent in iuftitia & fcientia.

QUARTVM PRIVILEGIVM fuit Immortalitas feu potentia non moriendi: 2. Impaffibilitas; 3. ciborum falubrium neceffitas: 4. & per lignum vitæ ab omni corruptione præferuans fecuritas. *Ratio 1mi* Quia homo in Paradifo *contra primã causã mortis* quæ eft pugna quatuor elementorũ contrariorũ hominem componentium, habuit Iuftitiam Originalem, quæ ficut *Integritatis* fubijciendo inferiorem appetitum fuperiori, ita & *Immortalitatis* fubijciendo corpus ad animam, tanquam potentiam receptiuam ad fuum actum informantem, erat fons, radix & principium. *Contra fecundam caufam mortis*, quæ eft calor naturalis depafcens humidum radicale, habuit arborem vitæ, cuius efu humidum radicale ad primæuam reduceretur perfectionem. *Contra tertiam caufam mortis* quæ eft Agens extrinfecum, vg. animal venenatum, inimicus homo, Dæmon &c. habuit fingularem Dei Prouidentiam, fingularem Angelicæ cuftodiæ affiftentiam, ac fingularem propriam prudentiam; ad euitanda quæcunq; mala extrinfeca; confequenter Immortalitas erat non quòd haberet impotentiam moriendi, fed quia habebat potentiam non moriendi, non ex conditione naturæ, fed ex Originali Iuftitia. *Ratio 2di.* Quia Adam in ftatu Innocentiæ, erat paffibilis paffione folũ *Perfectiuâ* id eft ad bonum naturæ ordinatâ: quales funt intellegere, velle, fentire, dormire, paffiones communiter dictæ: non tamen paffione *Deftructiuâ* per contrariarum qualitatum pugnam, tollente naturalem difpofitionem: quæ dicitur propriè paffio. *Ratio 3tij.* Quia Adã in illo ftatu ducebat vitã animalẽ, ideoq; indigebat cibo paffibili, quo corpus eius fiebat paffibile folũ paffione perfectiuâ. Et quia omnium arbor naturas cognofcebat, ideo iuxta dictamen prudentiæ falubriores ftomacho ac palatui fuauiores fructus ad vefcendũ feligebat.

Ratio 4ti. Quia in ftatu Innocentiæ pro homine producta fuit Arbor vitæ feu lignum vitæ, *Vel* vt legunt Hæbrei lignum vitarum: *partim* quia homini longiffimam promittebat vitam, humidum radicale confumptũ refarciendo, & ad priftinam puritatem reducendo: *partim* quia omnes vitas. f. vegetatiuam, fenfitiuam & rationalem in fuo robore conferuabat *partim* quia non vni Adæ fed omnibus eius pofteris, fi ftatus Innocentiæ perfeueraffet, vitam illam aliquomodo immortalem fuppeditaffet.

QVINTVM PRIUILEGIVM eft, quòd ex primis parentibus ordinariã generationis methodo: 2. Filij & filiæ defcendentes: 3. mox nati etfi non habuiffent fufficientem virtutem ad mouendum membra ad quofcunque actus, nifi ad actus pueritiæ conuenientes: 4. adhuc tamen antequam nafcerentur fimul cùm rationalẽ haberent animã iufti effent, & nati fuiffent cum Iuftitia Originali & Gratia: 5. quæ tamen eis non fuiffet naturalis: 6. In fcientia quoq; prius imperfecti, quam proceffu temporis fine difficultate acquifiuiffent.

Ratio primi. Quia in ftatu Innocentiæ intentionem principalem naturæ ceffari eft inconueniens; iam autem de intentione principali naturæ erat vt multitudo indiuiduorum humanorum vt pote ex parte corporis corruptibilium, per ordinariam generationis methodum propagaretur. *Ratio 2di.* Quia diuerfus fexus pertinet ad diuerfitatem naturæ humanæ: vt patet ex

diuerfi-

diuersitate graduum in Vniuerso. *Ratio 3tij.* Quia naturale est quòd propter maximam celebri humiditatem in pueris, nerui qui sunt instrumenta motûs non sunt idonei ad mouendum membra: *Ratio 4ti.* Quia Iustitia Originalis est donum diuinitûs datum, toti naturæ; ideoque filij in hoc dono nati parentibus assimilarentur tanquam in accidente speciei: sicut & nunc in statu naturæ lapsæ assimilamur in peccato Originali, parentibus nostris. *Ratio 5ti.* Quia Iustitia Originalis non fuisset transfusa per Virtutem seminis, sed fuisset collata homini desuper cùm habuisset animam rationalem: sicut etiam statim dum corpus est dispositum, infunditur á Deo anima rationalis, quæ tamen non est ex traduce. *Ratio 6ti.* Quia naturale est homini vt scientiam per sensus acquirat: ideoque anima vnitur corpori, quia indiget eo ad suam propriam operationem: quod non esset si statim à principio scientiam haberet. Non acquisitam per virtutes sensitiuas. Ex quo sequitur infantes non habituros vsum perfectum rationis.

SEXTUM PRIUILEGIUM fuit locus ipse Paradisi *Corporeus* quia propter hominem corporeum: *Particularis*, quia ad orientem sub zona temperata: *Magnificus* scientiæ boni & mali arbore, ibidem productâ: ab euentu sic dictâ, inquantū post peccatum Parentes nostri ex vsu vetitæ arboris incurrerunt omne malum, *Practicè* illud cognoscendo, quod ante peccatum *speculatiuè* illis erat cognitum, dum cognoscebant speculatiuè differentiam inter bonum & malum. *Durans etiam nunc*, Quia in illum translatus est Enoch. Nec perijt aquis diluuij ex speciali Dei prouidentia.

2. STATVS INTEGRITATIS est alter quem habuerunt nostri Parentes, importans appetitûs sensitiui ad rationem & ipsius rationis ad Deum plenam ac perfectam subiectionem: 2. quam primus homo habuit ex coniunctione ad iustitiam Originalem: *Ratio primi.* Quia natura humana sine statu integritatis, esset regnum in se diuisum, concupiscente carne aduersùs spiritum, *Ratio 2di.* Quia status Integritatis nunquam fuit solus sine statu Innocentiæ: sicut intellectus nunquam sine voluntate

3. STATVS NATVRÆ LAPSÆ est tertius qui cæpit à primi parentis peccato superbiæ. 2. & Inobedientiæ ac gulæ: 3. Spoliauitque totam naturam humanam in primo homine Iustitiâ Originali, alijsque supernaturalibus: 4. eádéque Vulnerauit in potentijs naturalibus. *Ratio primi.* Quia iuxta Eccl. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* *Ratio 2di.* Quia primus homo ex amore propriæ excellentiæ contempsit Præceptum Dei, cui contraueniens comedit de ligno Vetito. *Ratio 3tij.* Quia Adam sicut acceperat Iustitiam Originalem & pro se, & pro omnibus posteris, cum pacto transfundendi illam in eosdem si perseuerasset: ita non perseuerans amisit eandem & pro se & pro nobis omnibus, vt pote donum toti naturæ humanæ collatum; ac perconsequens amisit omnia dona supernaturalia quæ ab Iustitia Originali promanabant: solaque remansit in eo fides informis & spes tanquam perfectiones ipsius personales. *Ratio 4ti.* Quia Per peccatum Originale accepimus *primum* Vulnus Ignorantiæ quâ hebetatur intellectus ad cognitionē veri: *2dum* Malitiæ quâ retardatur voluntas à prosecutione boni honesti: *3tium* Concupiscentiæ quâ appetitus concupiscilis exardescit in bonum delectabile contrarium rationi: *4tum.* Infirmitatis, quâ Irascibilis ad prosecutionē boni ardui languet: Ipsum autem peccatum Originale est totius naturæ languor ac febris.

4. STATVS NATVRÆ REPARATÆ est quartus, qui cæpit à Domino Iesu Christo Saluatore nostro: 2. Per cuius passionem, Adam primus homo, salutem æternam est consecutus: *Primum* est de Fide. *Secundum* D. Nazianzenus asserit dicens: *Vtrumq;* (Parentes primos) *Serpens decepit, vtrumq; CHRISTVS passione suâ salute donauit.*

5. STATVS NATVRÆ PVRÆ, nunquam re ipsâ solus fuit à parte rei. Quia Deus creaturas quas rationales creauit, non reliquit in ipsorum ordine purè naturali & exacto ab intrinseco, verùm eleuauit ad beatitudinem supernaturalem: tam Angelis quàm Primis parentibus, tribuens gratiam sanctificantem.

6. STATVS NATVRÆ GLORIFICATÆ est vltimus executione: primò inchoatus à CHRISTO in eius sacrosancta Incarnatione quantùm ad animæ partem superiorem; redundauit abundantissimè in eius corpus, stante triumphali gloriosâ resurrectione: ad dexteram æterni Patris collocatus est, transactâ mirabili Ascensione. Ergo Naturam humanam in CHRISTO glorificatam sequamur in passionum tolerantia, virtutumque profectu; & nunc gratiam, post vitæ decursum gloriam assequemur; Per Iesum Christum Dominum Nostrum Cui Honor & Gloria in sæcula sæculorum.

AMEN

TVRRIS LIBANI
PARADISO CONTERMINA
Vernantes Tibi exhibet Cedros
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. ANDREA KRAVZ.
Felicissimus Primorum Parentum in Paradiso status
Sola Cedro digna expostulat facta.
In quorum excelsum præmium
GLORIA LIBANI DATA EST EI.
Gloriam Libani & Krauziana obtinuit Virtus
Quæ Dignior Cedro
Materia æternorum facta est simulachrorum.
STANISLAVS KRAVZ PARENS TVVS DILECTVS
Æternum Virtutis Simulachrum.
Cuius Consularis Grauitas, Virtutis Nobilitas
Prudentiæ Dexteritas
CEDRO CELSIOR OMNI
Docuit & Exercuit
Terrestres Penates & Filios Excelsos soli debere viuere
Immortalitati Gloriosæ.
Cuius antecedentem Virtutis fructum
Nouus semper occupat in Krauzijs successiui honoris gradus.
Domestica Vobis Consularis Dignitas
Quia Priuilegia Paradisi in Vestris Archiuijs asseruâstis
Potestatis & Dominij,
Quod quatuor Virtutum Cardinum fluminibus
Phisone Prudentiæ Gubernatiuæ, Geone Iustitiæ Adæquatiuæ,
Tygride Fortitudinis Repressiuæ, Euphrate Temperantiæ Compressiuæ
Ad immortalem irrigatur Gloriæ Abundantiam.
AQVÆ QVÆ FLVVNT IMPETV DE LIBANO
Nitidos, Fluidos, Præclaros, Dyaphanos dixeris
Wegrzynouicyos, Rolenscyos, Perutos, Puczkones, Celestos,
Qui de Libano Krauziano euocauêre Sponsas.
Nec minor Vestri Libani Gloria
FRANCISCVS NOMINE, PROFESSIONE DOMINICVS.
Gradu, Eloquio, Meritis,
VERITATIS PRÆDICATOR.
Et Vester in Vestro exaltabitur ad parem gradum Libano
SEBASTIANVS KRAVZ
Sic omnium Vestrûm Virtute Viuificante.
ET NVNC TVVS PRÆCLARE ANDREA LIBANVS
Paradiso ob Virtutes præcelsas conterminus
FRVCTV, ODORE, IMMORTALITATE,
ipsum transcendens Olympum
SEMPER MANEAT FLORIDISSIMVS.

TVRRIS ANNIBALINA
AD SALVTEM

Contra pericula mortis Te Magnum Veneratur Apollinem
Clarissime Nobilis ac Spectabilis Domine
D. IOANNES ZAIACZKOWICZ.
Philosophiæ & Medicinæ Doctor. S. R. M. Secretarie & Medice.
Magnus Annibal Heros, vt dominaretur orbi
multas extruxit Turres, ast multis eas oppugnantibus ad mortem.
Feliciùs Tu noster Apollo vt imperares morti
Annibalinas extruxisti Turres, omnibus eas in habitantibus ad salutem.
Ex Arbore Vitæ Tuum desumitur Recipe
Qui omnia ad normam componis Paradisi
NOBILISSIMORVM PISONORVM Sanguine tangens Portum
Quos illi in Serenissima Reginæ BONÆ promeruêre Honores Aula,
Eosdem Tu ex Serenissima Dextera
SERENISSIMI IOANNIS III.
gloriosa ob merita obtinuisti,
Et quas ipse Sfortius Princeps vidit ac Veneratus est Pisonorum Virtutes,
natiuo ex murice omnes cessêre Tibi.
In Iagelloniano positus Paradiso
nouum Te Periclymenum exhibuisti
Quia Totus in Scientiæ Arborem abijsti.
In laboriosissimo Virtutum collocatus statu
Annibalis animo Pyreneos montes feliciùs superâsti
Qui coram Patauino Archilyceo
Secreta Naturæ intra Pyreneos abscondita
in Lucem ac Triumphum deduxisti gloriosiùs
MAGNIFICVS NATVRÆ PROPVGNATOR.
Hinc Magnum Metropolitanæ Turres Te salutârunt Apollinem
Magnoque simul donauêre solio
Maioribus quàm Alcibiades Socrati oblatis Honoribus.
Zenonis in Te Areopagus Metropolitanus probauit Virtutem
Ideoque non solas, Atheniensi ex æstimatione, Ciuitatis Tibi dederunt Claues
Nec ex Beneficio Cæsaris, Ausonium inaugurauêre Senatorem
Magnis verùm ex meritis Metropolitanam concessêre Curulem
iam Proconsularibus destinatam Fascibus
SOLENNI, CONCORDI, LIBERA ELECTIONE.
Nec Magnum quoque Tibi est Antiquorum adæquari Gloriæ Medicorum
Ni maiùs fuisset Domesticis, Bassis, Opocznijs Gasouijs Gutterijsque annumerari,
Et ni gloriosiùs contigisset Clarissimis aggregari Viris
ŁOPACCYIS, SLESZKOWSCYIS, REYNEKIERYIS, WOSINSCYIS,
SŁOWAKOWIIS, NOSTRI ORBIS, ET ÆVI GALENIS.
ERGO
TRIUMPHES VICTOR CONTRA PERICVLA MORTIS
GLORIOSVS ANNIBAL IN APOLLINE
AD SALVTEM.

TVRRIS PHARIA

CYNOSVRA NAVIGANTIVM
SENILIS, CANDIDA, & EXPERIMENTALIS
TVA PRÆSTANS EST ERVDITIO
Nobilis ac Spectabilis Domine
D. MARTINE MISIECKI
S. R. M. Secretarie
Inclyti Senatûs Cracouiensis
CANCELLARIE DIGNISSIME.
Regnorum Vehere Fortunam
Soli nôrunt Mnestei, Segestei, & Palinuri.
Quibus Taurominitana minantur pericula
Et Maleæ formidolosa occurrunt mala
ELICE NON ILLVCENTE.
Magnæ Sapientiæ Tuæ
Magnum hoc encomium est.
Inter Syrtes Iurium & Charybdes litigantium
Embolo tangere Propontidem.
Iason, Tiphys, Castor, etiamsi Tritoniâ Vehantur Naui
non tamen Velleris aurei tangent littora
Vbi Pharos lucere desierit.
TALEM TE SENATVSPOPVLVSQVE NOVIT METROPOLITANVS
COMMVNE PROMONTORIVM & VNIVERSALEM PHARVM.
Consiliorum Enceladum: Melitum Eloquentiæ : Nymphodorum
Temperantiæ: Veritatis Magistrum.
Omnes Illuminas, Dirigis, Doces.
Etiam versùs Colchos nauigare peritissimus.
Omnium Virtutes, Praxes Iuridicas, Astrologicas, Politicas, penetrâsti.
Domestico coruscus lumine.
Præclarissimas Metropolitanarum Affinitatum accendisti faces.
Incontaminato mentis niueæ candore.
GRATISSIMVS, FELICISSIMVS, PIISSIMVS.
Cuius Pharia Turris hâc Pietatis semper fulgeat Coronide
BENEDICTVS DEVS.